multos celerius abſumerentur. *Front. lib. 3. cap. 4.* Eodem conſilio Judæos ex tota regione Hieroſolymam fugientes Veſpaſianus, inde Titus ejus filius oppreſſere, teſte *Joſepho*.

Dionysius multis urbibus captis, cùm Rheginos aggredi vellet, qui copiis abundabant, ſimulavit pacem: petiitque ab eis, ut commeatus exercitui ſuos ſubminiſtrarent. Quod cùm impetraſſet, exhauſto oppidanorum frumento, aggreſſus urbem alimentis deſtitutam ſuperavit. Idem & adverſus Himereos feciſſe dicitur. *Ibidem*.

Antigonus rex, ut Athenas caperet, ſub finem autumni pacem cum eis pepigit. Athenienſes frumentum hinc inde ſeminantes, ſperabant priùs abiturum, quàm fruges videre cœpiſſent. Cùm ad maturitatem jam fruges perveniſſent, Antigonus cum exercitu impreſſionem in Atticam fecit. At illi cùm frumentum partim conſumpſiſſent, partim convehere prohiberentur, Antigonum intra mœnia receperunt, omnibuſque ejus mandatis morigeros ſeſe præbuerunt. *Polyænus lib. 3. & Frontinus lib. 3. cap. 8.*

Numantia obſidione clauſa, cùm famem hoſtes ſentire cœpiſſent, pabulatores in agris captos occidi P. Scipio vetuit, quin permiſit incolumes in urbem abire, ut aliquanto citius fames invaleſceret. *Sabell. lib. 9. Enn. 5.*

Q. Fabius Maximus, vaſtatis Campanorum agris, ne quid eis ad fiduciam obſidionis ſupereſſet, receſſit ſementis tempore, ut frumentum, quod reliquum habebat, in ſationes conferrent. Reverſus deinde, renata protrivit, & ad famem redactis potitus eſt. *Front. lib. 3. cap. 8.*

C. Julius Cæſar dicebat, idem eſſe ſibi conſilium adversùs hoſtem, quod pleriſque medicis contra vitia corporum fame potiùs, quàm ferro ſuperandi. *Front. lib. 4. cap. 7.*

Arverni, ſuaſu Vercingetorigis ducis, uno die xx. urbes ſuas cum vicis minùs munitas incenderunt, ut Julium Cæſarem pabulandi inopia fatigarent. *Sab. lib. 6. Ennead. 6.*

Romani, duce Tito, Hieroſolymam obſidebant. Cùmque fames crudeliſſima Judæos vexaret, ut multi morerentur, iis, quos ferrum reliquos fecerat, Romani juxta murum ſtantes, alimentorum copiam Judæis oſtentantes, famem illorum magis accendebant. *Joſeph. lib. 6. cap. 14. belli Jud.*

Belisarius, cùm magnam vim frumenti Ravennæ, quam oppugnabat, in publicis horreis adhuc recondi cognoviſſet, ex incolis quempiam pecunia corrupit, ut horrea cum frumento clàm concremaret. *Procopius.*

Henricus III. Rom. Imp. in Ungariam ſuſcepta expeditione, Danubianæ claſſi Gebhardum Epiſcopum fratrem præfecit. Andreas ea parte, qua hoſtis iter facturus erat, acervos frumentarios, ac pabula cuncta combuſſit, incolas, & pecora abduxit, ne qua prædæ, commeatuſve copia foret hoſti. Imperator in omnium rerum egeſtatem incidit. E Javrino intereà præfectus claſſis tabellarium ad Imperatorem miſit, qui ab Andrea interceptus eſt. Mox ad Gebhardum, Henrici nomine, adulterinæ literæ remittuntur, claſſem ſolveret, & celerrimè Ratiſponam rediret, ad incurſiones hoſtium reprimendas. Præfectus iis literis deceptus, mandato peragit. Imperator ergo & commeatu, & auxiliis deſtitutus, pacem cum Andrea fecit, Sophiam filiam Philippo Henrici Gallorum regis F. deſponſatam matrimonio junxit, & nunquam ſe, ſuoſve contra Pannonas militaturos promiſit. *Bonfin. lib. 2. Dec. 2.*

Stephanus Palatinus Valachiæ xxx. millibus ſuorum cxx. millia Turcarum anno 1475. profligavit. Permagnum autem cùm ad victoriam, tum ad majorem hoſtium ſtragem momentum ipſi attulit, quod omnem circumcirca regionem longè latèque in primo Turcarum ingreſſu ipſe exuſſerat. Hinc enim factum eſt, ut in magna commeatus, & pabuli penuria, Turcæ juxta, ac equi ipſorum debilitarentur. *Cromerus lib. 28.*

Florentini antequam à Carolo V. obſiderentur, quæcumque in agris poterant uſui hoſtibus eſſe, omnis generis commeatus, pabulique præſertim, in urbem convexerunt: quæ transferri nequibant, ultrò incendiis corruperunt. *Jovius lib. 27. Hiſt.*

Aldefonsus, Aſturum, & Caſtellæ rex, Toletanam urbem populoſiſſimam oppugnaturus, quatuor annis continuis agros vaſtavit. Quinto demùm obſidionem admovit, ſeptenis caſtris illam circumdans. Itaque fame coacti cives, ſed & tyrannide, & ignavia regis ſui Hiaje moti, urbem dedidere. *Rodericus Toletanus lib. 6. rerum Hiſpan. cap. 23.*

Potum.

Cyrus Babylonem oppugnabat. Babylonii cùm frumentum in multos annos haberent, oppugnationem deridebant, Cyrus Euphratem, qui per mediam urbem fluebat, interceptum in vicinam paludem deduxit. Babylonii, cùm aquæ bibendæ copiam non haberent, confeſtim ſe Cyro dediderunt. *Polyænus lib. 7.*

P. Servilius Iſauram oppidum, flumine (ex quo hoſtes aquabantur) averſo, ad deditionem ſiti compulit. *Frontinus lib. 3. cap. 7.*

C. Cæſar in Gallia Cadurcorum civitatem amne cinctam, & fontibus abundantem ad inopiam aquæ redegit, cùm fontes cuniculis avertiſſet, & fluminis uſum per ſagittarios arcuiſſet. *Front. lib. 3. cap. 7.*

COMMEATUS CURA: PUTA ALIMENTORUM, PABULI, LIGNORUM, SALIS, Ignis.

☞ *Huc quoque aliquo modo referendus erit Titulus, Regiones ſteriles, & aridas ſuperare.*

ACQUISITIO, IMPORTATIO, INTRODUCTIO, SUBVECTIO. PRÆDAM tutò agere.

David rex exul, cum 600. comitibus ad Achis regem Geth Palæſtinum confugerat, & ab eo Siceleg oppidum habitandum acceperat. Quotidiè igitur in vicinos agros Amalechitarum, Gerzeorum, & Geſſureorum excurſiones faciebat, prædam abigebat, & ne apud regem Achis deferretur, nulli ſexui, aut ætati parcebat. Cùm autem nullus cladis nuncius ſupereſſet, apud Achis ſimulabat, ſe è Judæis prædam illam agere. Et hoc fecit anni, & 4. menſium ſpatio, quoad mortuo Saul rex ſalutatus eſt. 1. *Reg. 27.*

Artoxerxes Perſarum rex, contra Caduſios ſuſcepta expeditione, cùm ad diverſorium quoddam regium deſcendiſſet, ubi eximii erant, & magnificè inſtructi horti, vivariaque ferarum: circumjecta autem regio nullis arboribus veſtita, & nuda rigeret gelu: conceſſit militibus, ut ex hortis, atque vivariis arbores cederent, ac lignarentur, neque picea abſtinerent, vel cupreſſo: Dubitantibus illis, & temperantibus propter pulchritudinem, & proceritatem arborum, correpta ipſe ſecuri maximam, & præſtantiſſimam arborem dejecit. Hinc lignantes, & frequentes pyras excitantes commodam noctem tranſegere. *Plut. in Artoxerxe.*

Chabrias ex ſuis decem velociſſimos in ſingulas naves impoſuit, & noctu in hoſtile ſolùm emiſit, atque prædam ex regione agere juſſit. Cives ex urbe ſuis rebus opem ferentes, capturi prædatores erant. Ille confeſtim ad urbem navigando, eos de urbe tuenda cogitare coegit. Proinde naves ad terram appellens, acceptis ſcutatis, & præda, quam ceperant, diſceſſit. *Polyæn. lib. 3.*

Idem cùm electi ſufficerent ad implendas naves centum, & viginti, eſſet autem ei opus ſolùm ſexaginta navibus: juſſit eos, qui remanebant, iis, qui navigaturi erant, ad bimeſtre annonam miniſtrare, aut ipſos navigare. Ipſi ergo lubentes dederunt ea, quæ præcepit. *Ariſtot. in Oeconom.*

Timotheus, cùm quadraginta naves haberet, volens ex his quinque præmittere, complurium dierum commeatu inſtructas: cùm ſtipendia dare non poſſet, præceptum dedit, ut omnes naves ſolverent, quæ triplum commeatum haberent. Cùm ad inſulam quandam appuliſſent, triremium præfectos juſſit ex ſingulis navibus duplum commeatum ad ſe adferre, eumque in quinque naves diſtribuit, ipſe cum triginta tribus ad priſtinam ſtationem rediit. *Polyæn. lib. 3.*

Anaxarchus, cùm irruente tempeſtate cognoviſſet ante Alexandrum lignis vacuum locum caſtris capturum eſſe, omnibus vaſis, & ſupellectili in ſtativis defoſſis, calones lignis oneravit. Cùm igitur ad eum locum ventum eſſet, & ſigna deficerent: omnes Alexandri menſæ comburebantur, ut ſeſe calefacere poſſet. Quodam nunciante, apud Anaxarchum ignes extare, contulit ſe ad ipſum, & in Anaxarchi ſcena ſeſe calefecit: audienſque providentiam, collaudavit: & quæ abiecerat, duplo reſtituit, tum vaſa, tum veſtes, quoniam ipſius igni fuerat uſus. *Ælianus de Var. hiſt. lib. 9.*

Hircius, Mutinenſibus obſeſſis ab Antonio, ſalem, quo maximè indigebant, cuppis conditum, per amnem Saturninum

num intromiſit. Idem pecora ſecunda aqua dimiſit, quæ excepta ſuſtentaverunt neceſſariorum inopiam. *Frontinus lib. 3. cap. 14.*

Cùm Tarentini à Romanis obſiderentur, periculumque eſſet, ne fame ad deditionem impellerentur. Rhegini decimo quoque die jejunium decernentes, victum conceſſerunt Tarentinis. Proinde cùm decedentibus Romanis liberarentur, memores calamitatis Tarentini, feſtum conſtituerunt, quod Jejunium appellabant. *Ælianus de Var. hiſt. lib. 5.*

Hannibale obſidente Caſilinum, Romani farinam doliis ſecunda aqua Vulturni fluminis dimittebant, ut ab obſeſſis exciperetur. Quibus cùm obiecta per medium amnem catena Hannibal obſtitiſſet, nuces ſparſere, quæ cum aqua ferente ad oppidum defluerent, eo commeatu ſociorum neceſſitatem ſuſtentaverunt. *Front. lib. 2. cap. 14.*

L. Paulus Æmilius, cùm ad Olympum montem contra Perſeum caſtra haberet, & infeſtaretur potus penuria exercitus (exiguus enim, & pravus ſcaturiebat juxta mare) videns excelſum, & nemoroſum montem imminentem Olympum, ac coniiciens ſylvæ virore habere eum laticum ſcaturigines, quæ in immò clàm fluerent: lacus iis, & puteos frequentes aperuit latere montis, & qui mox rivis affluentibus impleti ſunt tractu, & impetu ejus, quod aſtrictum antè fuerat, ad vacuum delato. *Plut. in Plato.*

C. Marius Coſ. IV. ubi Cimbros propè eſſe intellexit, raptim ſuperavit Alpes, ac caſtris ad amnem Rhodanum communitis, convexit affatim eò commeatum: ne unquam niſi poſtulante uſu ex neceſſariorum inopia dimicare cogeretur, ſubvectionem eorum, quæ eſſent exercitui opus, cùm antè longinqua, & ſumptuoſa mari fuiſſet, expeditam effecit, & celerem. Nam oſtia Rhodani, maris refluxu magna vi limi oppleta, arenaque alto cœno à fluctibus aſtricta, periculoſum, moroſumque, & anguſtum navibus frumentariis eò reddebant decurſum. Huc exercitum otioſum convertit, foſſamque grandem duxit: quò magna fluvii parte detorta, deduxit illam ad opportunum littus altam, ac magnorum navigiorum patientem, quæ planum haberet, & tranquillum ad mare oſtium. Hæc nomen ab illo etiam hodiè retinet. *Plut. in Mario.*

Cn. Pompejus contra Mithridatem profectus, cùm is montem validum, & munitum, in quo caſtra habuerat, quaſi aridum reliquiſſet: eum ipſe repentè occupavit, atque ex fruticum indole, locorumque convexitate coniiciens, ſubeſſe ibi fontes, imperavit puteos paſſim deprimi, fuitque in caſtris ſtatim aquæ affluentia, ut miraretur, tamdiù id Mithridatem fugiſſe. *Plut. in Pompejo.*

Metellus in Hiſpania contra Sertorium bellum gerebat. Advertens ergo Lagobritas, qui non parum præſidii Sertorio ferebant, facilè capi ſiti poſſe (nam unicus in urbe erat puteus, Rivuli autem, & fontes, qui in ſuburbiis extabant, & ſub mœnibus, in poteſtate futuri erant obſidentis) ad oppidum movit, biduo ſperans, ſe capturum aquæ penuria urbem. Quare edictum fuerat militibus, ut quinque tantùm dierum cibaria ſecum ferrent. At Sertorius huic rei providere maturans, bis mille utres aqua jubet impleri, magno præmio in ſingulos utres pronunciato. Quod frequentes Hiſpani, frequentes item Mauri ſuſcipiunt: ex quibus delectos viros valentes pariter, & pernices mittit per montana, edicitque iis, ubi tradiderint utres illis, qui tenerent urbem, inutilem turbam, ut educerent. Intereà Metellus Aquinum cum ſex millibus militum frumentatum mittit. Sertorius in redeuntem Aquinum incurrens, eum profligavit. Itaque Metellus Aquino recepto, qui cum armis equum amiſerat, fœdè ſolvit obſidionem, multis conviciis ab Hiſpanis laceratus. *Plut. in Sertorio.*

Romani à Totila Gothorum rege obſeſſi, quicquid ſoli intra muros fuit vacuum ædificiis, inararunt, ſparſeruntque tritico. Quo contigit, ut priuſquam commeatus deficeret, matura ſit ſeges urbe defecta. Erantque per hæc Romani diù laturi obſidionem, ſervaſſentque poſtremò urbem, ni Iſauricorum militum fraude fuiſſet Gothis tradita. *Sab. lib. 4. Enn. 8. & Jo. Magnus lib. 24. cap. 6.*

Gothi duce Vitige Beliſarium Romæ obſidentes, aquæductus omnes interruperant. Erant hi quatuordecim numero, mirabili arte erecti, per quos aqua in urbem labi conſuevit. Afficiebat ea aquarum interruptio Romanos, & Græcos non parvo rerum incommodo: præcipuè tamen in neceſſario uſu piſtrinorum; quæ ſine illis aquæductibus penitùs inutilia reddebantur. At Beliſarius tot incommodis occurſurus, remedia excogitavit. Bini lembi parvo inter ſe diſtantes ſpacio tignis conjuncti, molas in medio continebant, quæ rapido fluminis curſu volvebantur: funes verò ab utraque ripa, quam maximè intenti, lembos in flumine ſuſtentabant: hujuſmodi lembos ſecus pontem, qui trans Tyberim ducit, collocavit. Poſt eos lembos alios eodem ordine poſuit: quibus ne hoſtes mittendo de ſuperiore loco materiam, & ignem officere valerent, catenæ in flumine ad ipſum pontem objectæ, omnem materiam excipiebant, exceptam autem homines ab utraque ripa depoſiti auferebant. Itaque lembi piſtrinorum uſum largiſſimè (ut etiam hoc noſtro tempore fit) compenſabant: aquarum verò defectum Tyberis abundè ſuſtentabant. *Joan. Magnus lib. 11. & Sigon. lib. 18. Imp. occid. ex Procopio.*

Gothi, & Sveci obſeſſi, penuria aquarum urgente, velis concavis longa extenſione à ſuperioribus tectis ſuſpenſis, ac dilatatis, & funibus cuneato ſitu versùs ima depreſſis, deſuper caſuras pluvias, aut rores excipiunt. Imbres enim nivium reſolutione adeò copioſi torrente ſolo è montibus deſcendunt, ut cunctis tam hominibus, quàm beſtiis ſufficiant ad neceſſitatem. *Olaus lib. 9. cap. 40.*

Gothorum, & Sueonum vetuſtus mos eſt, ut ſinguli ſiligineæ farinæ quantitatem in ſaccis ad hoc diſpoſitis, retrò ſellas equitum, unà cum lamina ferrea alligent, confeſtimque, ubi res poſtulat, igne ſtructo, laminæ ferreæ paſtas imponant, panum tanquam in clibano conficiendorum. Eadem lamina more clypei (in cujus modum formata eſt) corpora ſita protegunt, geminam, ac ſummè neceſſariam militaris induſtriæ opem ex una re prudentiſſimè mutuati. *Olaus lib. 9. cap. 41.*

Romam obſidebat Vitiges Gothus. Beliſarius cum ſuis ſumma premebatur annonæ inopia. Juſtinianus Conſtantinopoli commeatum mittit. Qui ne ab hoſte interciperetur, Beliſarius hoc ſtratagemate uſus eſt. Sub id tempus, quo hi erant urbem intraturi, hoſtium caſtra adoritur, facitque eruptionem per Flaminiam portam. Equites verò levis armaturæ jubet ad hoſtium caſtra equitare, illoſque tumultuosè ad pugnam elicere: mox conſerta pugna paulatim cedere, hoſtemque procul à caſtris diſtrahere. Quòd cùm illi graviter facerent, eſſetque jam propè urbem ventum, tum ſimul ab his, qui per Flaminiam portam emiſſi fuerant, factus eſt clamor à tergo: & equites, qui fugam ſimulaverant, ferociter ad pugnam revertuntur. Sic Barbari ancipiti metu perculſi in medio cæduntur, ſimulque auxiliares copiæ, & commeatus in urbem tutò recepti ſunt. *Sab. En. 8. lib. 3.*

Sphendostlabus Roſſorum princeps, obſidione ab Imperator Joanne Zimiſca Doroſtoli cinctus, cùm jam conſumptis alimentis penuria immineret: obſervata nocte illa, in quam imbres magni, & tonitrua horrenda inciderant, cum duobus virorum millibus lintres conſcendens, ad quærendum victui neceſſaria navigavit, collectiſque neceſſariis rediit. *Cedrenus.*

Zischa Boemus, qui Thaboritarum ductavit exercitum, villam quandam in Auſtria cùm diripuiſſet, neque inveniſſet armenta (nam illa in inſulam Danubio cinctam tranſvecta fuerant) conquiſitis à proximis villis duobus vitulis totidemque ſuibus, eos è regione inſulæ, tam diù verberari juſſit, donec mugitum, grunnitumque vaccæ, ſueſque exaudientes ad ripam ſuam tranarent. Qua prudentia cùm multa armenta intercepiſſet, & adduxiſſet non modicam prædam ad ſuos portavit. *Æn. Sylv. l. 2. Comment. de rebus geſtis Alphonſi, & Bonfin. Dec. 3.*

Taberlanes, quamvis ingentes duceret copias ad XII. centena millia, commeatu tamen ſemper abundavit. Caſtra enim in urbis modum erant ordinata, definito cuique artificio, loco proprio, ut omnia vitæ, uſuique neceſſaria in promptu eſſent, neque ullis latrociniis locus eſſet. *Cuſpin.*

Michaele Palæologo Bizantium obſidente, Latini Balduino imperante ad tantam egeſtatem redacti ſunt, ut ob lignorum inopiam plurimas, & pulcherrimas urbis ædes deſtruerent, ut neceſſariis ignibus materia ſuppeteret. *Gregor. lib. 4.*

Eo bello, quod Florentini contra Lucenſes geſſere, magnam ſibi gloriam Lucenſes, & nomen apud populos Italiæ omnes compararunt. Preſſi enim gravi, ac diuturna obſidione, perpeſſi rerum omnium inopiam, lignandi copia nulla, ſorte ductis civium nominibus, quorum ædes in urbe haberentur, eas demoliti, tignis, cæteraque materia lignorum vice uſi feruntur. *Brutus lib. 1. hiſt. Flor.*

Obſeſſo à Maximiliano Imperatore Patavio, cùm metuerent

Veneti ne bina flumina, quæ Patavium inferuntur, hoſtes primo quoque tempore averterent: ne tanta hominum multitudo farina deficeretur, molas frumentarias quas jumenta verterent omnibus oppidi regionibus, & vicis ædificari juſſerunt. *Bembus lib.9. hiſt. Venet.*

Maximilianus I. Cæſar, cùm ſtipendia militibus, quos dimittebat, perſolvere non poſſet, primus eis poteſtatem feciſſe dicitur paſſim in Germania vagandi, & à ruſticis alimenta abſque ullo mendicitatis probro exigendi, ſive à volentibus ſive ab amicis. Genus hoc ſycophantiæ (quo miſeri ruſtici militum ignaviam fovere, & ſuſtentare coguntur) *Garien* vulgò dicunt, fortè ab Italica voce Gardar, quaſi obſervatores novorum motuum.

Hiſpani, Venetique in obſidione Cephalleniæ, commeatus penuria haud mediocri affligebantur. Cùm ſupereſſet in caſtris, & claſſibus aliqua frumenti copia, parvas truſatiles molas, quæ in unaquaque trireme nexorum remigum manibus volverentur, & Conſalvus Magnus inſtituit, & cùm cribra deeſſent, lintea ad excernendos furfures, vel rara ſcortorum capitibus detraxit, furnoſque ſubitaneos, & clibanos parvos in litore ad percoquendos panes extruxit: cùm reliqui cacabis contuſum triticum, quamquam ventribus inimicum cum larido percoquerent. Quibus rebus non modò levata eſt fames, ſed utraque caſtra nova ſpe victoriæ ſunt completa. *Jovius in Conſalvo.*

Galli Papiam obſidentes, cùm militum obſeſſorum induſtria ex rerum neceſſitate magis, ac magis acueretur, in linteis & contabulatis tabernaculis focos cum vaporariis tubis ad excludendum fumum elegantiſſimè fabricarunt. *Jovius in Piſcario lib.5.*

Cùm graviter à Carolo V. Landreſium obſideretur, Franciſcus I. ut commeatum inferret, levem armaturam equeſtrem emiſit, quæ excitatis diverſo in loco levibus præliis, hoſtes diſtineret, univerſæque pugnæ ſpem, & ſpeciem præberet. Interim dextro cornu latè extento, præmiſſaque peditum, atque equitum valida manu, quos advexerat commeatus in oppidum intromiſit, præſidiumque labore, atque vigiliis confectum, recenti milite renovavit ſumma tranquillitate. Hujus ſtrenuè initi conſilii, feliciterque ſuſceptæ expeditionis eventum, inter præclara, fortiaque regis facta numerant. *Sab. Suppl. lib.27. ex Jovio.*

CONSERVATIO.

Nabathei Arabes, ſi quando invadit eos copioſus hoſtium exercitus, fugiunt in ſolitudinem, hujus ſe præſidio tutantes. Cùm ſit enim expers aquæ, aliis eſt inacceſſa: at his quia parata habent vaſa humi defoſſa incruſtata, Solis præbet præſidium. Cùm ſit enim terra partim argilloſa, partim rupem habens mollem, faciunt in ea ſcrobes ingentes, quarum oſtia admodum parva faciunt, eaſque in profundo ſemper ampliùs dilatantes ad extremum tantam magnitudinem efficiunt, ut ſingula latera ſint unius jugeri. Hæc vaſa replent aqua cœleſti, deinde ora obſtruunt, & ea reliquo ſolo adæquantes, ſigna relinquunt, ſibi quidem nota, ſed quæ alii animadvertere nequeant. Adaquant autem etiam, quæ abigunt pecora in triduum ne in locis aridis, & fuga egeant continuis aquis. *Diod. lib.19.*

Timotheus oppugnans Samum, cùm multi peregrini appellentes ea, quæ oppugnabantur, conſumerent, & idcircò caritas eſſet annonæ; præcepit, ne venderent farinam, neque heminam olei, aut vini, ſed frumenti non minus modio: liquidorum verò ad minus metretam, nemoque frumentiferas molas habet niſi in collibus. Sic accidit cùm peregrinis forum non pateret rerum ad quotidianum uſum ſpectantium, ſecum ipſi eo aſportarent, frumenti autem, & ciborum apparatum ſoli milites conſumerent. *Polyæn. lib.3. & Ariſtot. in Oeconomicis diſpenſationibus.*

Idem urbem exercitu circumdans militibus locum definivit, unde prædam agerent: reliquam regionis partem intactam ſinerent, non domum, non tugurium deſtruerent, neque inſititiam arborem exſcinderent, ſed ipſos duntaxat fructus caperent. Sic efficiebat, ut ſi viciſſent, plura tributa colligere poſſent, ſin bellum diutius traheretur, victum copioſum, & diverſoria haberent. Sed & hoc ipſo benevolentiam hoſtium venabatur. *Polyæn. lib.3.*

Ariobarzanes Adramytium tenens ab Autophradate terra, marique oppugnabatur. Cùm autem res neceſſarias, ac milites in urbem cuperet introducere, & ab oppugnantibus impediretur: mandatum dat Pteleunti, qui obiectam inſulam cum præſidio tenebat, ut ſimularet ſe eam Autophradati proditurum. Qui cùm præſidiis præfecto crederet, & claſſem ad excipiendam inſulam mitteret: Ariobarzanes intereà, dum naves ad inſulam contendunt, eas prævertens, magnam commeatuum, ac militum copiam in urbem importavit. *Polyæn. lib.7.*

Cyziceni Mithridatico bello frumentum Chalcidica creta immixta conſervarunt. *Strabo lib.12.*

Gothi ædificant domus lapideas, ſublimes, ac amplas, ligneaſque, quas tignis abietinis, & corticibus arboris betulæ, exquiſita induſtria tegunt, ceſpites virentes quadrata figura à campis exciſos ſuperimponentes: quos ſubmiſſo avenæ, vel hordei ſemine, firmioribus radicibus nectunt. Quo fit, ut tecta pratorum virentium ſpeciem æmulentur. In hæc tecta obſidionum tempore pecora paſtum agunt, ne recentibus deſtitui carnibus, morbum Scorbutum dictum, ex ſalſis provenientem carnibus, contrahant. *Olaus lib.9. cap.38.*

Otho dux de Leina in Saxonia urbem Gottingam obſidebat. Cives cùm magnam copiam mendicorum in urbe eſſe viderent, edicunt in loco extra urbem, ad agendas Deo gratias de victoria in deiiciendo Ducis propugnaculo, ſtipem largam diſtribuendam: qui eam depoſcat, ad horam adſit accepturus cum cæteris. Magna colluvies hominum concurrit ſtipem acceptura. Datur illa largè, ut erat edictum: ſed urbe à tergo clauſa, tum cunctis enunciatur, eant, quò poſſunt, panem quæſituri: non eſſe illis obſeſſa urbe locum, ubi gravare poſſit, adjuvare non poſſint: ad meliora tempora reverſuri. Hac ratione obſidionem diutiùs tolerarunt. *Crantzius lib.10. cap.14. Saxoniæ.*

Lusitani in arce Canonarenſe, cui Laur. Brittius præerat, à rege Canonarenſe obſidebantur. Spes omnis in aquatione è vicino puteo prohibenda. Luſitani ergo Conſilio Thomæ Fernandi, præſtantis architecti, ab arce in puteum cuniculum egere: tanto ſilentio, ut nunquam id ab hoſte animadverti potuerit. Tum paulò ſuprà illud cuniculi oſtium, quod ab arce ad puteum medium pertinebat, trabes immiſit, & ſuper eas alias tranſverſas injecit: & magnam materiæ vim ſuper eas trabes demiſit, quæ puteum tegeret, ne poſſent hoſtes venenum in aquam infundere. Poſtremo ore ſummo putei diſturbato, terram omnem congeſſit, ne poſſet hoſtis materiam extrahere. Sic tutò hoſtibus invitiſſimis aquabatur. *Oſorius lib.5. rerum Em.*

Commendatio.

Commendare aliis.

Conſule locum Juſtitiæ diſtributivæ.

QUOS.

Xenocrates Philoſophus etſi auſtero vir ingenio, ex rubore tamen inflexus, hominem Polyperconti Macedonum præfecto per epiſtolam commendavit minùs probum, ut res ipſa declaravit. Quem cùm eſſet Macedo amplexus, rogaſſetve: Ecquare eſſet ei opus: petivit talentum. Quod ei ille dedit, ſed per literas admonuit Xenocratem, ut diligentiùs probaret deinceps eos, quos commendaret. *Plut. de Immodica verecundia.*

Narrant, Polycratem Samiorum tyrannum, matres militum, qui in bello interiiſſent, recenſuiſſe, eaſque locupletioribus civibus nutriendas tradidiſſe unamquamque his commendantem verbis: *σοι τὴν μητέρα δίδωμι*. Id eſt. Hanc tibi do matrem. Unde proverbium, Polycrates matrem paſcit, quoties aliquis in commendandis amicis eſt benignior. Aut ubi quis alieno ſumptu de quopiam benè mereri ſtudet. *Eraſmus in Adag.*

In Agraria actione Tiberius Gracchus ad populi gratiam totum ſeſe componens, quo plebem contra Senatum magis inflammaret, veſtem mutavit, & liberos producens quaſi deplorata ſalute ſua, commendavit eos, matremque eorum populo. *Plut.*

Meſſala C. Jul. Cæſari Stratonem Philoſophum commendans, jam reconciliatus Cæſari, lachrymans inquit: Hic ille eſt, Cæſar, qui Bruto meo extremum præſtitit officium. Subiecerat enim ille Bruto campis Philippicis deſperata victoria obnixè petenti gladium, cui incumberet. *Plutarchus in Bruto.*

QUO-

QUOMODO.

Plato, cùm Heliconem quendam Dionyſio tyranno datis literis commendaſſet, ſcribens illum virum probum, ac modeſtum adſcripſit in calce epiſtolæ: *γράφω δέ σοι ταῦτα περὶ ἀνθρώπου, ζώου φύσει εὐμεταβόλου*, id eſt. Hæc autem ſcribo de homine, videlicet animante natura mutabili. *Plut. in Impub.*

Idem, cùm à Dionyſio faſtidiretur, popoſcit congrediendi copiam. Et data hunc in modum diſſeruit: Si quem ſentires in Siciliam appuliſſe hoc animo, ut ibi malè faceret, qui tamen non data oportunitate nihil mali faceret, an hunc impunè dimitteres. Cùm Dionyſius reſpondiſſet: Nequaquam, ò Plato: oportet enim hoſtium non facta ſolùm, verùm & animi propoſitum ulciſci. Plato ſubiecit: Tum ſi quis tibi bene volens veniſſet in Siciliam, ut tibi boni quippiam adferret, non faciat autem, deſtitutus occaſione: num par eſſet hunc nulla relata gratia contemptum abiicere? Dionyſio percontante. Quis eſſet ille: Æſchines, inquit, vir morum ſanctimonia cum quovis amicorum Socratis conferendus: & qui poſſit dicendo mulieres reddere, cum quibus habeat conſuetudinem. Is cùm huc, multum maris emenſus, adnavigarit, ut ſuam philoſophiam tibi impertiret, hactenus neglectus eſt. Hæc tam commoda oratio effecit, ut rex & Platonem, cui priùs erat infenſior, amplecteretur, & Æſchinem ſplendidè, magnificeque tractaret. *Laert. lib.2. & Plut. de Diſcern. adul.*

Auguſtus Cæſar filios ſuos nunquam populo commendavit, niſi cum hac exceptione: Si merebuntur. Honorem non auctoritati, ſed meritis tribui volens. *Suet.*

M. Antoninus Pius Imp. rogatus, cui filium Commodum commendaret? Vobis, inquit ad Senatum, ſi promeretur, & diis immortalibus. Favorem noluit ſuæ auctoritati tribui, ſed filii meritis. *Jul. Capitolinus.*

NON COMMENDARE.

Quidam petiit ab Ageſilao rege Spartanorum, ut ſe ſcriptis ad hoſpites, & amicos ſuos Aſiaticos literis commendaret, quò apud illos jus ſuum conſequeretur. Reſpondit. Nihil eſſe opus literis commendatitiis: nam mei, inquit, hoſpites ſua ſpontè, quæ juſta ſunt, faciunt, etiamſi illis non ſcripſero. *Plut. in Lacon. apophthe.*

Commercium.

☞ *Vide Converſatio. Societas.*

Commiſeratio. Compaſſio.

Definitio, & Etymologia.

* Commiſerationis, quæ nihil eſt aliud, quàm dolor, qui oritur ex malo aliquo proximi, quod velut proprium cenſemus, & ob id ad illius repulſionem inclinamur; plura exempla referentur ad *Locum de miſericordia*. Hic pauca dabimus.

* Exempla S. Scripturæ.

Audiens Abraham captum eſſe Loth nepotem ſuum, celeriter, & viriliter ſuccurrit ei. *Geneſ.14.*

Ruben, & Judas reſiſtebant cæteris fratribus volentibus occidere Joſeph, quamvis non reduxerint eum ad patrem, tamen minus malè actum eſt ei. *Geneſ.37.*

Gedeon compatiens ſociis fugatis petivit panes pro eis. *Judic. 8.*

Licèt filii Benjamin, filios Iſrael graviſſimè offendiſſent, propter illorum tamen excidium omnes elevata voce, ululatu magno fleverunt. *Judic. 21.*

Lugebat Samuel Saul, licèt ſciret eum à Deo projectum. 1. *Reg.15.*

Compatiens David laſſis ſociis, quia ad bellum ire non poterant conſtituit, quòd æqua par eſſet deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas. 1. *Reg.30.*

Doluit David de occiſione Abſalon, licèt ille multùm offendiſſet eum. 2. *Reg.18.*

Compaſſus populo David petivit ab Angelo percuti pro illis. 2. *Reg.24.*

Elias benignè accepit verbum mulieris ſatis durum, & pro filio ejus mortuo dolori illius compatiens efficaciter oravit. 3. *Reg.17.*

Cùm Jezabel occidiſſet prophetas domini, Abdias abſcondit centum ex eis, & pavit eos diebus multis. 3. *Reg.18.*

Piè compaſſus fuit Eliſeus viduæ debitis obligatæ, & augmentavit ei modicum olei, quod habebat. 4. *Reg.4.*

Non ſolùm pro præſentibus malis compatiendum eſt proximo, ſed etiam pro futuris: unde Eliſeus videns Azabel, qui mala facturus erat filiis Iſrael cœpit flere. 4. *Reg.8.*

Cùm cepiſſent filii Iſrael de viris Juda ducenta millia mulierum, & puerorum, pepercerunt eis, & veſtitos, atque refectos ad propria remiſerunt. 2. *Paral.18.*

Audiens Nehemias miſerabilem ſtatum civitatis Jeruſalem, flevit diebus multis, & tandem conſilium adhibuit, & auxilium opportunum. *Nehe.12.*

Cùm regnaret Sennacherib, & filios Iſrael exoſos haberet; Tobias pergebat quotidiè per omnem cognationem ſuam, & conſolabatur eos, eſurientes alebat, nudis veſtimenta præbebat, & mortuis, atque occiſis ſepulturam ſolicitus exhibebat. *Tobiæ 1.*

Nuntiata reginæ Eſther ſententia crudeli, contra populum ſuum lata, non aliter ſumpſit negotium, quàm ſi fuiſſet una de populo: licèt eſſet ſecluſa à tali ſententia tanquam ſponſa regis dilecta. *Eſther.4. & 7.*

Audientes tres Amici Job omne malum, quod accidiſſet ei, venerunt, ut conſolarentur eum: ſed cùm non intelligerent cauſam ſuæ afflictionis, fuerunt ei poſteà oneroſi. *Job.2.*

Magnam compaſſionem beatus Job habebat ad proximos, qui dicebat: Aris audiens beatificavit me. Eo quòd liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non erat adjutor, benedictio pupilli ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. *Job.29.*

Non ſolùm juſtis in afflictione poſitis compatiendum eſt, ſed etiam peccatoribus, & injuſtis. Unde dicebat Iſaias: Propter deſtructionem Babylonis, repleti ſunt lumbi mei dolore, anguſtia poſſedit me, ſicut anguſtia parturientis. *Eſaiæ 22.*

Videns in ſpiritu eodem calamitatem ſuperventurum populo ſuo dicebat, Recedite à me, amare flebo. Nolite incumbere, ut conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei. *Eſaiæ 22.*

Dolens Abdemelech Ætiops, quòd Jeremias Propheta miſſus erat in lacum Leonum, in quo non erat aqua, ſed lutum, procuravit apud regem, ut extraheret illum. *Jeremiæ 38.*

Cùm ſcripſiſſet Baruch verba comminationis ex ore Jeremiæ, dixit: Væ mihi miſero, quoniam addidit dominus dolorem dolori meo. Et tamen dicebat populus, quòd Baruch incitaret Jeremiam adversùs eos, ut traderentur in manus Chaldæorum. *Jeremiæ 43.45.*

Cùm revelaſſet dominus Ezechieli peccata, quæ populus Iſrael faciebat, & pœnas, quas paſſurus erat, fuit amaricatus triſtis, & gemebundus. *Ezech.3. & 9.*

Rex Darius ſciens Danielem poſitum in lacum Leonum, præ dolore dormivit incœnatus, cibique non ſunt illati coram eo. Inſuper & ſomnus receſſit ab eo. *Dan.6.*

Magnum dolorem habuit Onias ſacerdos, quando vidit templum per Heliodorum debere ſpoliari, & depoſita viduarum, & pupillorum auferri. 2. *Mach.3.*

Antiochus rex, qui nobilis appellabatur, licèt ſimpliciter eſſet malus, tamen audiens Oniam ſummum ſacerdotem iniquè fuiſſe occiſum, flexus ad miſericordiam lachrymas fudit. 2. *Mach.4.*

Miſertus eſt dominus turbæ indigenti, quia pedeſtris ſequuta eum fuerat in deſerto. *Mat.14.*

Accedentes Diſcipuli ad dominum rogabant eum pro muliere Cananæa, dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos. *Marc.8. Matth.15.*

Contra nolentes compati proximo, & ex corde remittere, inducit dominus parabolam de ſervo nequam, cui mille talenta fuerunt remiſſa, noluit dimittere conſervo ſuo centum denarios. *Matth.18.*

Ad hoc, quòd Homo libenter compatiatur proximo, & miſereatur ipſius, multum facit, quòd ſpecialiter fiet diſputatio de operibus miſericordiæ in judicio. *Matth.25.*

Cùm vidiſſet Dominus flentem viduam, cujus filius efferebatur defunctus, miſericordia motus ſuper eam, dixit: Noli flere, & mortuum illius filium ſuſcitavit. *Luc.7.*

Samaritanus ille ſuper ſauciato miſericordia motus, alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum, & curam illius egit, & pabulum fecit haberi. *Ibid.10.*

Videns Dominus civitatem Jeruſalem, & conſiderans mala,

mala, quæ ei futura erant poſtmodùm, & paſſura, flevit ſuper eam dicens: Si cognoviſſes & tu, &c. *Idem* 19.

Ut vidit Jeſus Mariam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea plorantes infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum, & lacrymatus eſt. *Joan.* 11.

Etiam pendens, Salvator in cruce habuit curam matris, quam ſciebat in anima crucifigi. Mulier, dixit, ecce filius tuus oſtenſo Joanne. *Idem* 10.

Cùm veniſſet Petrus in Joppem vidit flentes viduas pro morte Tabithæ, quæ faciebat eis tunicas, & veſtes, & ponens genua ſua oravit, & cùm vocaſſet eam, ſanctis, & viduis aſſignavit vivam. *Act.* 9.

Paulus cùm eſſet Athenis, incitabatur ſpiritus ejus in eo, quòd ipſe videbat idololatriæ deditam civitatem. *Ibid.* 17.

Barbari, non modicam præſtabant humanitatem Paulo, & ſociis ejus. Accenſa enim ei pyra reficiebant omnes propter imbrem, qui imminebat, & frigus: ipſi verò ejus bene indigebant, qui de navi confracta evaſerant tempore hyemali, & quoſdam oportuit natare, alii verò ſuper tabulas fuerunt aſportati. *Ibid.* 27. 28.

Cùm tanta ſpiritus anxietate compatiebatur Paulus fratribus, & cognatis ſuis pereuntibus, quod ipſe dicebat: Triſtitia eſt mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto, pro fratribus meis, qui ſunt cognati ſecundùm carnem. *Rom.* 9.

Et Galathis: Filioli mei, quos iterùm parturio. Judicium ſine miſericordia fiet ei, qui non facit miſericordiam, ut patet. *Jacob.* 2.

Exempla Historica, Et Apophthegmata.

RESPECTU PERSONARUM.
Commiſeratio.

In Genere.

Heraclitus Epheſius philoſophus ad omnem hominum occurſum fleviſſe dicitur. Dolebat ille, quòd nihil ſani eſſet in vita, nihil in homine non caducum, fluxum, & deceptibile. Flevit ille itaque hominum mala, meliore haud dubiè affectu, quàm Democritus, qui hæc eadem ridebat. Nam hic contemptum arguit, & ſtultitiam: ille juſtitiam, & charitatem. *Sab. lib.* 5. *cap.* 2.

In Specie

Erga Reges, Tyrannos.

Alexander Judæorum rex ob avaritiam, crudelitatemque ſuam Judæis inviſus, Alexandram uxorem monuit, ut cùm egiſſet animam, Phariſæorum benevolentia, & conſilio uſa, confeſtim cadaver in publicum efferendum curaret: convocatiſque illico civibus, quaſi illorum faveret vindictæ, palàm diceret ſe tradere Alexandrum jam defunctum dilaniandum civibus, ut quam in vivum nequiviſſent, in mortuum ſaltem iram juſtam exercerent. Alexandra ſecuta hoc conſilium, cùm per Phariſæos populo liberos ſuos Hircanum, & Ariſtobulum commendaſſet, ut innocentes impuberes, & nihil mali meritos: ita univerſæ multitudinis animum movit, ut non ſolùm liberis, regnoque ſalubriter conſuluerit verùm mariti etiam funeri, cui regio more juſta perſolverunt. *Joſephus lib.* 13. *cap.* 23. & 24. *Antiq.*

Dionysius Siciliæ tyrannus, cùm ad eum interficiendum mercenarii impetum feciſſent, miſerabili veſte amictus, prodit, comamque pulvere reſperſit, & militum poteſtati vitam ſuam permiſit. Mercenarii ejus miſerti, ſalvum, & incolumem dimiſerunt. Dionyſius eos non ita multo poſt in urbe Leontinorum circumvento ad unum trucidavit. *Polyæn. lib.* 5.

Eetion Echecratis è Petra tribu, cùm Labdam Amphionis filiam claudam duxiſſet, Delphos abiens ad conſulendum de prole, oraculum accepit, naſciturum ſibi ex Labda filium, qui Corinthum ſubjugaturus eſſet. Corinthii ergo de oraculo certiores facti, quamprimùm Labda enixa eſt, miſerunt viros decem, qui puerum interficerent. Illi cùm puerum ſub cypſeli hoc eſt, menſura frumentaria abſconditum ſuaviter ridentem deprehendiſſent, miſericordia moti abierunt. *Herod. lib.* 5.

Dionysius tyrannus, cùm Timoleonti ſe dediſſet, cum una navi, & modicis pecuniis Corinthum tranſmiſſus eſt. Eò Græcorum multi illius videndi ſtudio navigarunt, fortunæ mobilitatem dolentes, humanarumque rerum fragilitatem reputantes, quæ quò majores eſſent, eò ſua mole gravius ruerent. *Plut. in Timoleonte.*

Seleucus Antiochi F. Syriæ rex, Aſiaticas civitates ingenti claſſe aggrediebatur, ob auxilia Berenicæ novercæ ſuæ, & fratri ex ea nato exhibita. Sed ſubita tempeſtate naves omnes amiſit. Quæ res Seleuco hoc boni peperit, ut Aſiatici omnes ira in miſericordiam verſa, ſponte ſua in fidem infenſiſſimi hoſtis redierint. *Sabell. lib.* 9. *En.* 4.

Guilielmus III. rex Siciliæ, & Neapolis, Panormi conjectus fuerat in vincula ob tyrannidem, ſubſtituto Rogerio F. Quem cùm ad vindicandam patri factam injuriam populus propenſum videret, in Palatio obſidere cœpit. Is dum per feneſtram proſpicit, in caput vulneratus periit. Populus miſericordia infelicis patris, qui quem nuper regem creatum, nunc mortuum audiret, motus, eductum è carcere in integrum reſtituit. *Collenucius lib.* 3. *hiſt. Neapol.*

Erga amicos.

Samnietus, vel Pſammenitus Ægyptiorum rex à Cambyſe captus, cùm videret filiam ſervili habitu prætereuntem, cum pleriſque nobilium puellarum aquatum ire: inde filium ad ſupplicium cum pleriſque æqualium duci: reliquis omnibus ejulantibus, unus immoto ſtetit vultu. At cùm amicorum quemdam priùs ditiſſimum, jam verò cibum mendicantem conſpexiſſet: neque à lacrymis temperavit ampliùs, neque ab ejulatu abſtinuit. Cauſam demirante Cambyſe, reſpondiſſe ferunt: Domeſtica mala multò majora fuiſſe, quam ut à ſe fleri poſſent: amici fortunam dignam ſibi viſam, quam fletu, & lacrymis, quando aliter opem ferre non poſſet, proſequeretur. *Sab. lib.* 7. *Enn.* 2. *ex Herod. lib.* 3.

Athenienſibus naves conſcendentibus, commiſerationis campus ampliſſimus. *Vide Tit. Libertatis ſtudium.*

Erga Hoſtes.

Dinocrates Meſſenius Philopœmenem Achæorum prætorem jam ſeptuagenarium in conflictu equo excuſſum ceperat. Meſſeniorum urbana multitudo mirum in modum eo nuncio elata ad portas concurrit. Ut attractum Philopœmenem contra gloriam, factaque in victorias priſtinas conſpexere, miſerati plerique ſunt: atque ejus vicem dolentes etiam illacrymabantur, humanamque fortunam ut fallacem, & inanem elevabant. *Plut. in Philopœmene.*

Cassander Antipatri F. familiares occiſorum ab Olympiade Alexandri Magni matre, invitavit, ut eam in communi Macedonum concione accuſarent. Quæ cùm parata eſſet apud omnes Macedones cauſam dicere: veritus ne fortè plebs reginam ſe purgantem audiens, & Alexandri, Philippique beneficiorum recordatus, pœnitentia duceretur, cc. Milites oblegavit, ut eam extemplò necarent. Hi cùm in regiam domum irrupiſſent, viderunt Olympiadem, ejus fortunæ commiſerati, dignitatemque reveriti, infecta re diſceſſerunt. *Diodorus lib.* 19.

Duo Conſulares exercitus Romanorum à Samnitibus ad Caudinas furcas circumventi, & ſub jugum miſſi fuerant. Ante noctem, quamvis potuiſſent, Capuam ingredi noluerunt. Campani faſces, purpuram, lictores conſulibus, veſtimenta, & commeatum aliis ex commiſeratione dedere. Et Capuam ingredientibus ſenatus, & populus obviàm ſeſe effudit, multaque hortando monendoque conſolati ſunt dolentes. *Sabell. lib.* 5. *Enn.* 4.

Duo Brabantini Equites ab Eduardo II. Anglorum rege evocati contra Scotorum regem Robertum I. cùm audirent in Anglorum caſtris infinita propè convicia in Robertum, atque Scotos jactari, orta commiſeratione, eis felicitatem in futura pugna publicè precati ſunt. Ea voce ad Anglum delata, pulſi caſtris ad Robertum per fœcialem ducti ſunt, publicèque edictum, ut qui alterius ipſorum caput, confecto prælio, ad regem Edvardum deferret, centum argenti marcas pro munere acciperet. At cùm Scoti viciſſent, equites illi ingenti præda potiti amplis inſuper donati muneribus, in patriam rediere: & Antuerpiæ diverſorium, Scotiam nomine (quod etiamnum extat) Bruſii effigie notiſſimum ingenti ſumptu ad Scotorum uſum ædificavere. *H. Boeth. lib.* 14.

Erga Supplices.

Vide Titulum Supplicum.

Anno 1507. Ludovicus XII. exules Genuam reducturus, victos acie Genuenſes in deditionem accepit. Ingreſſus eſt ipſe urbem ſub umbella: candidis armis totus obtectus, nudum manibus gladium tenens: cui obviàm facti ſunt urbis regionum præfecti (Antianos vocant) cum magna civium

honeſtiſſimorum multitudine: quibus cum multis lachrymis ad pedes ejus proſtratis, ubi nonnihil ſilentii factum eſt, unus ex illis omnium nomine, appoſita ad flectendum regis animum oratione, cum culpæ confeſſione veniam petiit. Orationem ſequutæ ſunt omnium claræ voces, miſericordiam implorantium. Rex autem quamvis eos ſurgere juſſerit, & gladio, quem ſtrictum manu tenebat, depoſito animi potiùs ad placabilitatem propenſi ſigna daret, nullo reddito reſponſo progreſſus eſt. Deindè ad totius urbis auguſtiſſimum templum pervenit, ubi mulierum, atque infantium ingens numerus ſe ad ejus pedes abjecit: qui omnes candidis veſtibus induti, maximis clamoribus, & miſerandis ejulatibus ejus clementiam, miſericordiamque implorabant. Hic aſpectus regis animum non mediocriter commovit, ut mille auri librarum mulcta contentus fuerit: qui alioqui illis omnem adminiſtrationem, auctoritatemque eripere, pecuniam, quæ divi Georgii nomine ad privatos pertinet, in regium ærarium inferre, & omnis libertatis imagine ſpoliare ſtatuerat. *Guicciard. lib.* 7.

Odilo abbas Cluniacenſis, vir probitatis, ſanctitatiſque laude eximia præſtans, cùm reprehenderetur, quòd erga peccatores nimis eſſet miſericors: Malo, inquit, damnari de miſericordia, quàm de duritia. *Matth. Dreſſerus* 6. *Millen.*

Erga Bruta.

C. Pompeii altero conſulatu, dedicatione templi Veneris victricis, pugnavere in circo viginti Elephanti, Getulis ex adverſo jaculantibus. Tandem amiſſa fugæ ſpe miſericordiam vulgi inenarrabili habitu quærentes ſupplicavere, quadam ſeſe lamentatione complorantes: tanto Populi dolore, ut oblitus imperatoris, ac munificentiæ honori ſuo exquiſitæ, flens univerſus conſurgeret, diraſque Pompejo, quas ille mox luit, pœnas imprecaretur. *Plin. lib.* 8. *cap.* 7.

RESPECTU RERUM.
Misericordia
aliorum tangi ob

Mortalitatem.

Xerxes rex Perſarum, cùm vidiſſet univerſum Helleſpontum navibus ſuis conſtratum, omnia litora, atque Abydenorum plana hominibus referta, jactavit ſe beatum, moxque fudit lachrymas. Tam ſubitam mutationem admiratus Artabanus, regis patruus, qui diſſuaſerat eam expeditionem, auſus eſt rogare cauſam. Tum Xerxes: Subiit, inquit animum meum cogitatio, quàm brevis ſit hominum vita, quando ex tam numeroſa multitudine poſt annum centeſimum nemo ſuperfuturus eſt. *Herod. lib.* 7.

Famem.

Helias prophetico ſpiritu inter ſuos longè princeps, cùm cœli inclementia omnia laborarent (totum enim triennium è cœlo non pluerat) ac jam propè eſſet, ut terra victum negante, fame, & ſiti animalia interirent, impenſiſſimè Deum precibus fatigavit, ut ſuorum calamitatis miſereretur, tenuitque precando, ut ſua ſit temperies terris reddita. *Sabell. lib.* 8. *cap.* 2. *ex* 3. *Reg.* 18.

Everſionem urbis.

Hieremias propheta videns in ſpiritu calamitatem ſuperventuram populo ſuo, dicebat: Recedite à me, amarè flebo. Nolite incumbere, ut conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei. *Hierem.* 38.

Exciſis ab Alexandro Thebis, Athenienſes myſteriorum ſolemne, quod in manibus erat, ob luctum prætermiſere, refugienteſque ad urbem ſuam omnibus officiis coluere. *Plut. in Alex.*

M. Marcellus Coſ. ubi Syracuſas ingreſſus eſt, illacrymaſſe dicitur, partim tantæ rei perpetratæ gaudio, partim veteri fama, & ſplendore urbis. Occurrebant animo inclytæ victoriæ, quòd Athenienſibus terra marique victis Atticas claſſes, duoſque clariſſimos duces, cum numeroſo exercitu, Syracuſani deleviſſent: bella cum Carthaginenſibus geſta duo Dionyſii, eorumque potentia: recentiſſima Hieronis memoria, qui præ omnibus ſociis regibus Romanum populum præcipua fide coluit: ornatiſſimus urbis apparatus, in cinerem momento temporis abiturus. *Sab. lib.* 4. *En.* 5.

P. Scipio Carthaginis everſor, commiſeratione ejus urbis flevit, Romani excidii præſagio. *Vide Fletus.*

Julianus Imperator cum ingenti apparatu egreſſus Conſtantinopoli contra Perſas, tranſmiſſo Boſphoro, à Calcedone Nicomediam proceſſit. Super qua ingemuit altiùs, ac flevit: memor illic olim ſe in regia, & ampla urbe, ædificiorum ſumptibus inſigni, educatum, quæ tum terræmotu corruerat. *Marcellin.*

Strages.

Cùm Iſraelitæ omnes Maſpham conveniſſent, vindicaturi Gabeenſium Benjamitarum ſcelus, jurejurando confirmarunt, nullum ſuorum filiam ſuam ulli Benjamitarum daturum eſſe in matrimonium. Tota autem tribu exceptis 600. ferro, & igni exciſa, Iſraelitæ Bethel profecti coram Domino queſti ſunt, unam Iſraelitarum tribum interiiſſe. Juſſi autem à Domino eam reparare, cum 600. illis pacem inierunt: trucidatiſque Jabenſibus Galeaditis, quòd prælio Iſraelitico non interfuiſſent, virgines 400. Benjamitis nuptui dederunt. Reliquis ducentis de rapiendis totidem Siluntiis puellis poteſtatem fecerunt. *Judicum cap.* 22.

Agesilaus rex, allato nuncio Spartiatas commiſſo circa Corinthum prælio perquam paucos cecidiſſe: Corinthiorum, Athenienſium, cæterorumque iis confœderatorum permultos: nullum lætitiæ ex victoria ſinum dedit, vel exultationis, ſed ingenti edito gemitu: Heu Græciam, inquit, quæ tot milites bello inteſtino perdidit, quòd ei ſi incolumes ſint, ad debellandos univerſos barbaros ſint ſatis. *Plutarchus in Apophthegmatis.*

M. Cato Uticenſis, Cæſare circa Dyrrachium fuſo. *Vide Paſſiones animi.*

Captivitatem.

Proſcriptus Atherius à ſervo ſuo accuſatus eſt. Qui Triumvirali lege liberatus, fortunas etiam patroni eadem lege conſequabatur. Servus igitur, cùm patroni ſui filios deſpectui haberet, & ipſi rei atrocitate, præſertim cùm adhuc tenella ætas eſſet, territi, lacrymantes, ſilenteſque eum ſequerentur: veluti ſævam nimis illam rem omnis Populus abominatus eſt: atque ea Triumviris declarata, voluit, ut ingratus ſervus denuò apud Atherii filios in ſervitutem rediret, eiſque patris bona reſtituerentur. *Fulgoſus lib.* 6. *cap.* 5. *Al. Alex. lib.* 3. *cap.* 20. vocat Aretium.

C. Jul. Cæſar conſul tulit legem de agro Campano fermè toto pauperibus, & tenuibus dividendo. Huic ſolus M. Cato junior ſe objecit. Cæſar eum ex Roſtris traxit, atque in carcerem duxit. Secutus Catonem eſt mœſtus Senatus, & optimi quique ex populo, ſtomachantes tacitè, & indignantes. *Plut. in Catone.*

Leo, Baſilii Macedonis Imperator filius, à quodam monacho Theodoro Sandabareno apud patrem inſidiarum cauſa delatus, in carcerem conjectus fuerat. In palatio pſittacus in cavea ſuſpenſa degebat, ut ſpectatores oblectaret. Avis vociferari ſolebat, Heu, heu, domine Leo. Quodam tempore cùm ad convivium Imperator Senatores præcipuos vocaſſet, eamque vocem avis ſæpiuſculè ederet, mœſtitia oborta, convivæ cibo, potuque omiſſo cogitabundi aſſederunt. Cùmque id animadvertens Imperator, cauſam rei perquireret, ii oculos lacrymas oppleti: Qui (inquiunt) Imperator cibum capiamus voce beſtiæ hujus objurgati nos, qui rationis compotes, & dominorum ſtudioſi credimur? Bruta hæc avis domini ſui nomen invocat: nos luxui dediti, inſontem oblivioni mandamus. His verbis mitigatus Imperator, Leonem carcere eductum in conſpectum ſuum admiſit, veſtem lugubrem dempſit, comæ ſuperflua, quæ per luctum creverant, auferri juſſit, dignitatemque Cæſaris priſtinam reddidit. *Cedrenus.*

Damnationem injuſtam.

Uxor Pilati Chriſti optimi maximi innocentia ſtimulata, quantum in ſe fuit, conata fuit apud maritum illius cædem impedire. *Matth.* 27. *Mar.* 36. *Joan.* 20.

Euntem Dominum ad crucem ſequebatur multa turba populi, & Mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. *Luc.* 22. & 23.

Incenſa à Nerone Roma, cùm rei facinoris multi per impudentiſſimam calumniam ab emiſſariis principis ſubiicerentur, Chriſtiani ſunt quæſiti, quorum ſupplicia non dubitabat Nero quin futura eſſent popularia, ob novum religionis genus: quorum pœnæ tam exquiſitæ, omnemque humanitatem ſuperantes fuere, ut ſpectanti populo miſericordiam moverent. Seneca à principe petiit, ut in rus aliquod ſecedere valetudinis cauſa liceret. Quod cùm non impetraſſet, domi, atque adeò in cubiculo multos menſes ſe continuit. Tacitus ad evitandam invidiam ſacrilegiorum Neronis hoc interpretatur. Ego verò, quòd lanienam inſontium ſpectare non

non ſuſtineret. *Lud. Vives in librum 6. Aug. de Civitate Dei,* A *cap.11. ex Suetonio.*

Dejectionem à dignitate.

Samuel propheta cùm prædixiſſet Saul regni mutationem, eo quòd Domino inobediens, Agag regem, & prædam opimam Amalechitarum ſervaſſet: ab eo Galgalis diſceſſit, neque poſteà Saul ampliùs vidit, quòd vicem ejus dolebat. 1. *Regum 16.*

Cùm Suſis Alexander Magnus regiam ſellam inſediſſet, eaque eſſet ſublimior, quàm ut corpori ipſius conveniret, puer quiſpiam animadvertens pedes Alexandri haud mediocri intervallo ſolum non contingere, apportavit Darii menſam, pedibuſque regis pendentibus ſuppoſuit. Hoc in aſtantium turba Spado videns lacrymari cœpit. Alexandro fletus cauſam quærente, reſpondit: in præſentia quidem tuus ſum ſervus: ſed cùm priùs Darii fuerim, naturaque dominos meos diligere ſoleam: non potui, non dolore, rem, quæ tantopere ab illo honorabatur, abs te tunc contemptui haberi videns. Quæ ad verba animo adjecto Alexander, imperii Perſarum quanta eſſet ruina, ſecum volutare cœpit. *Diodorus lib. 17.*

B Perses Macedoniæ rex à Paulo Æmilio in triumpho ductus, & Albæ cum filiis in carcerem fœtidiſſimum, & profundiſſimum conjectus, per dies ſeptem eo loco miſeriam perferens, extremæ etiam conditionis Hominibus lacrymas movit. Tandem cùm ei gladius ad occiſionem, & reſtis ad ſtrangulationem projectus eſſet, data utriuſve optione: M. Æmilius, curiæ præſes, Senatum reprehenſione commonefecit, ut ſi humano metu non terrerentur, at ultricem certè fortunam vererentur, quæ in eos animadvertere ſoleret, qui poteſtatibus ſuperbiùs utuntur. *Diodorus Siculus lib. 31.*

M. Quin. Flaminius à M. Catone, quòd in amaſii gratiam unum ex captivis trucidari curaverat, ſenatu moverat. Ejus, cùm in theatro ludos abjectè, & demiſsè inter infirmos ſedens ſpectaret, commiſeratione Plebs mota, clamore illum inter conſulares ſedere perpulit. *Plut. in Flaminio.*

Solymanus Turcharum Imperator dimiſſo Philippo Lilimanno militiæ Rhodiæ magiſtro, quem hoſtem licèt, clementer acceperat: miſeret me, inquit, miſeri ſenis: & doleo C pulſum eum ſua domo à nobis mœſtum abire. *Cont. Chron. Carion.*

Fabulas.

Alexander Pherenſium tyrannus, maximè truculentus, ſævuſque eſſe videbatur. Theodoro verò, tragico poeta, acri animarum affectu, & commiſeratione Æropem agente, lacrymas profudit, ſurgenſque de theatro receſſit. Excuſans ſe apud Theodorum, affirmavit ſe non idcircò abiiſſe, quòd illum aut aſpernari, aut contumelia afficere voluiſſet: ſed quòd puduiſſet, fictæ miſeriæ aliorum id tribuere, quod veris ſuorum calamitatibus non tribueret. *Ælianus lib. 14. de Varia hiſtoria.*

☞ *Flere ex commiſeratione.* ☞ *Vide Fletus Lacryma.*

Commodatio.

☞ *Vide.* Mutuum. Usura. Liberalitas.

* Communio. Communicatio.

D

Significatio, Et Acceptio Vocis, ejuſque uſus.

In Scriptura ſacra varia eſt acceptio vocis (Communicare.) nonnunquam enim idem eſt, quod coinquinare. Ubi enim Chriſtus dicit, non quod intrat in os coinquinat hominem; eſt textus Græcus per verbum κοινόω, id eſt, communico, eoque nomine *D. Hieronymus* illum locum interpretatur.

Ita vocabulum Commune, ſive communis accipitur pro immundo, polluto, profano. Quomodo dicebant Judæi, diſcipulos Chriſti manducare communibus, hoc eſt, illotis manibus. *Marci 7.* Cibos immundos Petrus vocat communes. *Actorum cap. 10.*

Ceterùm Communio, ſive communicatio propriè apud Catholicos uſurpatur, ut ſignificet participationem Euchariſtiæ: utitur autem ea voce *Lucas in actis cap. 11.* Erant, ait, perſeverantes, ſcilicet Neophyti Chriſtiani, in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis. Græca dictio habet κοινωνία, quod eſt communionis. Utiturque eadem voce Paulus 1. *Corinth. cap. 10.* Eſtque idem communio; quod communis unio fidelium in Euchariſtia cum Chriſto, E & inter ſe, quomodo eadem Euchariſtia dicitur σύναξις, quaſi congregatio fidelium, ut interpretatur. *Chryſoſt. hom. 9. ad pop. Antiochen.*

Communionis Divisio. Primò in Clericalem, & Laicam.

Diſtinguunt Auctores, qui de perceptione S. Euchariſtiæ ſcripſerunt, duplicem communionem: Clericalem, & Laicam, quarum diſcrimen non erat in ſpecierum exhibitione in primitiva Eccleſia, cùm utraque utriſque miniſtraretur, ſed in circumſtantia Loci, quia Laicis extra chorum dabatur Euchariſtia, Clericis verò in Choro, præter Sacerdotem, & Diaconum, qui ante altare communicabant. Et quidem clerici ritu diſtincto, proprio ad percipiendum Sacramentum accedebant, ut colligere eſt ex *Conc. Tol. VI. Bracarenſi 1. & aliis.*

Poſterioribus verò temporibus generaliter diſtincta eſt communio Sacerdotum à Laicis: quod illi dum ſacrificium Miſſæ celebrant, utramque ſpeciem ſumant, quod Laicis non permittitur, ut quibus ſub ſpecie panis Chriſtus adminiſtratur. F ☞ *Vide Tit. de Euchariſtia, §. Communio ſub utraque ſpecie.*

II. In Sacramentalem, Spiritualem, Et utramque ſimul.

Notat Concil. Trid. Tres modos à veteribus diſtingui Sacramentum Euchariſtiæ manducandi, ſive communicandi. Quidam enim communicant dumtaxat Sacramentaliter, qui ſolam hoſtiam conſecratam ſumunt non probati, nec dijudicantes corpus Domini; tales ſunt fideles peccatores. Infideles enim, uti & beſtiæ quamvis comedant hoſtiam ſacram, non tamen dicendi ſunt eam ſumere ſacramentaliter, niſi admodum materialiter. Alii voto duntaxat, & propoſito panem illum cæleſtem edunt, eſtque communio ſpiritualis: & tales etiam illius fructum fide viva inſtructi percipiunt, cum priores ſibi manducent judicium. Debet autem illud deſiderium parere ſpiritualem fructum, qui provenit ex merito operantis: & dicitur fructus hujus Sacramenti obiectivè. Eſtque hæc ſpiritualis G communio alia ab illa, qua SS. Patres in veteri Teſtamento in figura manducabant hoc Sacramentum, ſive eſcam ſpiritualem, ut loquitur Apoſtolus.

Spiritualis, & Sacramentalis communio eſt, qua percipitur hoc Sacramentum ab illis, qui ſe probarunt, veſtemque induti nuptialem ad ſacram hanc menſam accedunt. Vide *S. Thom. part. 3. quæſt. 80. art. 1. 2. 3.*

Communionis Sacræ Ritus Vetus.

Chriſtiani tempore Apoſtolorum communicaturi jejunabant toto die, dummodò valetudo permitteret, uſque ad Cœnam Dominicam. Ut colligitur ex *verſu 34. cap. 11. Epiſt. 1. ad Corinth.* Ubi Apoſtolus, Si quis eſurit, domi manducet, nempè ſi tantiſper famem non ſuſtinet, donec ad cœnam conveniant.

Deinde populus panem, & vinum in Eccleſia tradebat Diaconis, qui eadem ad altare ferebant.

Tertiò Communicaturis apponebatur tabellæ, quaſi menſuræ, uti hodiè ad menſam coopertam linteo communicamus.

Clamabat ante communionem Præco, Sancta ſanctis, tum H Sacerdos oſtendens Sacramentum dabat, dicens corpus Chriſti, ſumens dicebat, Amen.

Accipiebant autem non ore, ut modò, ſed manu. Viri quidem manibus per modum crucis porrectis, nempè dextra ſuperimpoſita ſiniſtræ, ideòque manus ante lavabant: Fæminæ verò manu velata mundo linteo: quod Dominicale vocabant. Ita jubet *Conc. Altiſiod. can. 39.* Non licèt mulieri nuda manu Euchariſtiam ſumere, & *can. 36.* Unaquæque mulier quando communicat, dominicale ſuum habeat. *Cyrill. Jeroſol. Catech. S. Myſtagog.* dicit. Manu concava ſumendum Chriſti corpus. Legatur etiam *6. Synod. Conſtantinop. can. 101.*

Denique quiſque manu ſua acceptam Euchariſtiam ori imponebat, ſcilicet ſub una ſpecie panis, quam etiam domum deferebant, & jejuni ſumebant, pro diſpoſitione ſumentis.

Tempore autem D. Cypriani ſumebant quoque ſub ſpecie vini Euchariſtiam, ut in perſecutionibus per ſuſceptionem ſanguinis Chriſti magis animarentur ad fundendum pro illo ſanguinem. Vide *Cyprianum Epiſt. 56. ad Thibaritanos.*

Communio Paschalis. Ejus Typus, Et Præceptum.

A Velut olim Judæis à Deo præceptum fuit, ut quotannis, manducarent Agnum Paſchalem, qui è præcipua eorundem feſtivitate hoc nomine appellatur; quod ſcilicet in illa eum immolarent, & comederent, ut legitur *Exodi c. 12.* & nos latè de ea re diximus hoc eodem opere, in *loco de Euchariſtia, & Paſcha:* Sic præter divinum præceptum de recipienda Sacra Euchariſtia, quo obligantur omnes, qui ad annos diſcretionis pervenerunt, in mortis ſaltem articulo, & aliàs ſæpiùs probabiliter, vita durante, hoc Sacramentum ſumere Chriſto expreſſis verbis dicente, Niſi manducaveritis carnem filii hominis, &c. *Joan. 6.* &, hoc facite in meam commemorationem, *Lucæ 22.* Ubi de tota actione myſticæ illius cœnæ loquitur, quæ etiam ad ipſos, qui Sacramentum recipiebant, extendebatur: Eccleſia Catholica hoc ſacræ Communionis tempus determinavit, videlicet ut unuſquiſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit [qui anni moraliter deſignari non poſſunt. Unde prudentiæ parentum, & confeſſorum relinquitur de illis judicare, & quidem regula- B riter currere non incipiunt ante annum decimum ætatis, neque poſt xiv. differri poteſt hujus impletio præcepti] ſemel ſaltem in anno confiteatur, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum. Tempus autem hoc Paſchæ complectitur xv. dies à Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſivè. Debet verò ſumi hoc Sacramentum de manu proprii Sacerdotis in Paſchate, aut de illius licentia. Sic ut huic præcepto Eccleſiaſtico non ſatiſfaciat, qui à Religioſis ad diſpenſandam S. Communionem aliàs privilegiatis, intra præfatum tempus illud perceperit. Ita cenſuit congregatio interpret. Concil. Trid. 23. Janu. an. 1589. & alii Scriptores, *ad cap. omnis utriuſque Sexus, de pœnit. & remiſſ.* Ubi ſupra dictum præceptum continetur. Quin addit eadem S. Congregatio, quod nè quidem illi, qui jam præcepto Eccleſiaſtico ſatisfecerunt, poſſint ipſo Reſurrectionis Dominicæ die de manu Religioſorum communicare, quamvis contrarium apud nonnullos Religioſos practicetur, qui fortaſſis ſpeciale ad hoc faciendum habent.

Poenæ Non Communicantium In Paschate.

C Jure communi nulla aut pœna, aut cenſura decreta reperitur tranſgreſſoribus hujus præcepti, ut conſtat ex *dicto cap. omnis utriuſque*, ſed ſolùm præcipitur, ut hujuſmodi tranſgreſſor arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ, & mortuus Eccleſiaſtica careat ſepultura, quæ pœnæ niſi imponantur, non incurruntur.

Solent tamen in ſingulis penè Epiſcopatibus circà hoc concipi, & promulgari ſpeciales leges Synodales, quibus alibi ipſo facto excommunicantur, qui octo aut xv. diebus in illa tranſgreſſione perſeverant. Circa hoc autem aliud nihil dicendum occurrit, quam leges ſingularum diœceſium ſervandas eſſe, & ita tenet *Suar. in 3. part. q. 80 a. 11. diſp. 70. Sect. 3.*

Poena Divinitus Inflicta.

Cùm pro quodam defuncto ante annos centum, & octoginta die anniverſario conſtituto in Eccleſia Petri Romæ celebraret Gregorius, & cantaretur introitus, Requiem æternam dona eis, Domine, audivit vocem de cælo, Non faciam. Sed vir Deo devotus, putans illuſionem eſſe, juſſit reincipere Requiem: tunc rurſus audivit vocem, Non faciam, quia anima illius damnata eſt. Proſequitur Gregorius officium, orans D cauſam damnationis revelari ſibi. Cui revelatur ideò damnatus, quòd propter inimicitias, quas remittere noluit, corpus Chriſti ſemel in anno omiſerit recipere, & de hoc confeſſus non fuiſſet. *Naucler. volum. 2. Chronol. 21.*

Ermigildus Rex Cathol. à patre Ariano occiſus, quòd noluerit de manu Epiſ. Ariani in Paſchate communicare.

Sicut multorum, qui ab Hiſpaniarum partibus veniunt, relatione cognovimus, nuper Ermilgeldus Rex Livigildi Wiſigothorum filius, ab Ariano Leandro Iſpalitano Epiſcopo, dudum mihi in amicitiis familiariter juncto, prædicante converſus eſt. Quem Arianus pater, ut ad eandem hæreſim rediret, & præmiis ſuadere, & minis terrere conatus eſt. Cùmque ille conſtantiſſimè reſponderet, nunquam ſe veram fidem poſſe relinquere, quam ſemel agnoviſſet, iratus pater eum privavit regno, rebuſque expoliavit omnibus. Cùmque nec ſic virtutem mentis illius emollire valuiſſet, in arctâ illum cuſtodia concludens, collum, manuſque illius ferro ligavit. Cœpit itaque idem Ermigildus Rex juvenis terrenum regnum deſpicere, & forti deſiderio cæleſte quærens in ciliciis, vinculatus jacens, omnipotenti Deo ad confortandum ſe preces E effundere, tantoque ſublimius gloriam tranſeuntis mundi deſpicere, quanto & religatus agnoverat nihil fuiſſe, quod potuerit auferri. Superveniente autem Paſchalis feſtivitatis die, intempeſtæ noctis ſilentio ad eum perfidus pater Arianum Epiſcopum miſit; ut ex ejus manu ſacrilegæ conſecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus Ariano Epiſcopo venienti exprobravit, ut debuit, ejuſque à ſe perfidiam dignis increpationibus repulit: quia exteriùs jacebat ligatus, apud ſe tamen in magno mentis culmine ſtabat ſecurus. Ad ſe itaque reverſo Epiſcopo Arianus pater infremuit: ſtatimque ſuos apparitores miſit, qui conſtantiſſimum confeſſorem Dei illic, ubi jacebat, occiderent; quod & factum eſt. Nam mox ut ingreſſi ſunt, ſecurem ejus cerebro infligentes, vitam corporis abſtulerunt, hocque in eo valuerunt perimere, quod ipſum quoque qui peremptus eſt, in ſe conſtiterat, deſpexit. *Gregor. l. 3. Dialog. c. 31.*

Communicare Bona. *Opes, facultates, &c.* F

Scytharum pleriſque communia omnia præter enſem, & cyathum. Communes etiam uxores, liberique. *Cælius lib. 18. c. 24. A. L.*

Eſſei Judæi facultates omnes in commune poſſident. Quales etiam apud Dacos Pliſti dicti. *Joſephus lib. 18. cap. 2. Antiq.*

In primitiva Eccleſia Chriſtiani olìm omnes in panis fractione unanimes, bona etiam omnia communia habebant, & facultatibus ſuis cuique divenditis, indigentibus largiebantur. *Actor. 2. 4. & 5.*

Carthaginenſis legum lator, uno modo patrimoniorum æquabilitatem maturè induci poſſe tradit. Si dotem conferant divites, accipiant pauperes, nec contribuant. *Cæl. lib. 28. c. 15. ex Ariſt. 2. Polit.*

Islandis omnia communia ſunt præter uxores. Catulos ſuos, atque pueros æquo habent in precio: niſi quòd à pauperioribus faciliùs impetres filium, quàm catulum. Ita beatos putant, qui in regionem noſtram tranſportantur. *Crantz. in præfatione Norvegiæ.*

Timæus apud Laertium tradit, hoc dictum τὰ φίλων κοινὰ primùm à Pythagora profectum fuiſſe. *A. Gellius Noct. At-* G *tic. lib. 1. cap. 9.* teſtatur, Pythagoram non ſolùm hujus ſententiæ parentem fuiſſe, verumetiam hujuſmodi quandam vitæ, ac facultatum communionem induxiſſe, qualem Chriſtus inter omnes Chriſtianos eſſe vult. Nam quicunque ab illo in cohortem illam diſciplinarum recepti fuiſſent, quod quiſque pecuniæ, familiæque habebant, in medium dabant: quod re, atque verbo Romano appellatur κοινόβιον, id eſt, cœnobium, nimirum à vitæ, fortunarumque ſocietate. *Eraſm.*

Uxores.

☞ *Sub Amicitiæ officiis, Communicatio uxorum.*

Communio. Communicatio.

Vulgariter pro participatione, diſtributione, &c. quando id, quod privatum eſt, fit univerſorum, à Communico Græcè κοινωνέω.

Non Communicare, Occultare, Abscondere, Reticere Bonum.

Quid. Puta H

Opes, Theſauros.

☞ *Conſule Tit. Prudentiæ in conſervandis opibus.*

Cadaver.

☞ *Vide Tit. Prudentiæ in Sepultura.*

Luitprandus Longobardorum rex è Sardinia inſula D. Auguſtini corpus Papiam tranſtulit, & ne facile ſciri poſſet, quò loco conditum eſſet, tribus locis effoſſis, ſtructiſque ſepulchris, & noctu clam occluſis, alio loco condi juſſi, ut certo loco ignorato, minus prompta ejus rapiendi occaſio foret. *Bern. Saccus lib. 9. hiſt. Ticinenſis.*

Idola.

Rachel Laban patris ſui lares furata, eo perſequente, fimo camelino obrutos, ſub veſtibus occultavit inſidens, prætextu menſtruorum. Eos ipſos deinde Jacob ſub quercu defodit. *Geneſ. 35.*

Homines.

A ☞ *Ex loco Prudentiæ in vita aliorum conſervanda, quædam pertinebunt.*

Venerant xx. Franci juvenes duo Rotomagum, ut Giſlam Caroli Simplicis Francorum regis ſororem Roberti I. Normannorum ducis conjugem, de quibuſdam interpellarent. Mulier verita, ne quid maritus ſuſpicaretur de occultis à rege mandatis: in penitiore domus parte lautè curavit tractari. Normanni qui viderant ingreſſos, ſuſpicari cœperunt agi neſcio quid novi, & Robertum de hoc ipſo ſeriò monuerunt. Ille negotio ab uxore intellecto, ut ſuſpicionem adversùs ſe ſuorum purgaret, productos in forum publicum occidi juſſit, quòd non in aperto rem omnem peregiſſent. Mulier dolore animi, corporiſque confecta mortem obiit. *Crantzius l.2. Norvegiæ cap.* 28.

Porcos.

Tremelli ſervi ſcrofam aberrantem in villa confecerant. Eam ille domi ſub centonibus collocavit, ſuper quos uxor cubabat. Cùm vicinus quæſtionem exerceret, & ventum eſſet ad cubiculum, Tremellus verba jurationis concepit, nullam eſſe in villa ſua ſcrofam, præter illam, quæ in centoni-B bus jaceret, lectulum monſtrans. Ex hoc joco Scrofæ cognomen meruit. *Macrob.l.1. Saturn.c.6.*

Intra corpus.

Judæi, Romanis Hieroſolymam obſidentibus, devoratis numiſmatis hoſtium fidei effugii cauſa ſeſe committebant. Cùm fortuita unius cæde ex inteſtinis illius aurei nummi procidiſſent, avaritiæ militum occaſio data, ut plurimorum viſcera viventium perſcrutari auderent. *Joſeph.*

Villa Boſonis Thuſciæ marchionis uxor, baltheum gemmatum, cui Hugo Italiæ rex capto Boſone inhiabat, intra loculos muliebres abſconderat, ut niſi ligula dependens arcanum prodidiſſet, etiam nuda inquiſitores fallere potuerit. *Luitprandus l.3.c.5.*

Hiſpanus quidam Veneti ſcorti noctem LX. aureis pactus, lineam margaritarum inſignium, CCC. aureorum precii, ſingillatim devoravit. *Veſalius in Ventriculi anatome.*

In flumine.

Decebalus Daciæ rex, Trajano Cæſare urgente, theſauros omnes in Sergetiæ amnis averſi, & mox reducti vado recondidit, artificibus, & operis in veſtigio perfecti operis inter-C fectis.

Alarici Veſtgothorum regis cadaver, ne quando hoſtibus ludibrio eſſet, ab Ataulpho ſucceſſore in Buſſenti amnis alveo cum multis theſauris defoſſum fuit. *Sabellicus Ennead.* 7.

CUR. Causa

Avaritiæ.

☞ *Ex loco Avaræ φυλακῆς huc quædam.*

Religionis.

Olim, qui theſaurum parare ſtudebant. ☞ *Vide Pedes S. Nudatio.*

☞ *Occulta ſacra modò ad Juſtitiæ religioſæ, modo ad Superſtitionis locum pertinent.*

De Judæis ſuæ religionis myſteria occultantibus, conqueritur *Juvenalis:*

Quidam ſortiti metuentem Sabbatha patrem,
Nil præter nubes, & cœli numen adorant.
Nec diſtare putant humana carne ſuillam,
Qua pater abſtinuit: mox & præputia ponunt.
Romanas autem ſoliti contemnere leges,
D *Judaicum ediſcunt, & ſervant, ac metuunt jus,*
Tradidit arcano quodcumque volumine Moſes,
Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra ſolenti,
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

* Communitas.

Κοινότης Græcè.

Omnium rerum in orbis initio.

Nam propriæ telluris herum natura neque illum,
Nec me, nec quemquam ſtatuit, nos expulit ille,
Illum nequities, aut vafri inſcitia juris,
Poſtremum expellet certe vivacior hæres. Horat.2. Ser.2.

Senec. Hiſp.

Hoc equidem reor
Vixiſſe ritu, prima quos miſtos dies
Profudit: nulla vis auri fuit
Cæca cupido: nullos in campo ſacer
Diviſit agros arbiter populis Lapis. E
Nondum ſecabat credula pontum rates.

Apophthegmata.

Stulta avaritia mortalium poſſeſſionem, proprietatemque diſcernit, nec quicquam ſuum eſſe credit, quod eſt publicum: & ſapiens nihil judicat ſuum magis, quàm illius, cui cum humano genere conſortium eſt. Nulla eſſent communia, niſi pars illorum pertineret ad ſingulos. *Senec. 29. epiſt.*

Xysti Pythagorici. Quorum communis eſt Deus, idemque pater: horum niſi & poſſeſſio communis ſit, impii ſunt, *in Enchirid.*

Communis oratio.

☞ *Vide Tit. de Oratione.*

Pleniſſima peccatorum obtinetur ablutio, quando totius Eccleſiæ una eſt oratio, & una confeſſio. Si enim duorum, vel trium ſanctorum pio conſenſui omnia, quæ popoſcerint, dominus præſtanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi, unam obſervantiam pariter exequenti, & per unum ſpiritum concorditer ſupplicanti? *Leo Pap. ſer.*

Communitatis Directio.

☞ *Vide Tit. de legibus. Magiſtratu, &c.* F

Providè decrevit antiquitas, communitatem edictis generalibus admoneri, per quæ & debitum omne corrigitur, & excedentis verecundia non gravatur. Cuncti enim ſibi æſtimant dici, ubi nullum conſtat exponi: & ſimilis fit innocenti, quem contigerit, ſibi communione purgari. *Caſſ.l.3. epiſt.*18.

Omnia communia primis fidelibus.

☞ *Quære ſub Titulo Chriſtianus.*

Omnia communia amicorum.

☞ *Vide Titulum Amici, Amicitia.*

Commutatio.

Definitio, et Etymologia.

Commutatio eſt rei unius pro alia præſtatio, quod etiam fit, dum quidpiam alicui indulgetur, ut alterum obtineatur. Eſt verbale à commuto, ſive permuto, ἀλλάττομαι, καταλλάττομαι, hinc commutare verba, eſt ingerere maledicta, opprobria, &c. G

MATERIÆ RESPECTU.

Qui commutant.

Rem pro Re, vel Opera. Videlicet.

Aquam.

In Samo Venus nuncupabatur Dexicreonis, quoniam Samias mulieres ὑπὸ τρυφῆς καὶ ὕβρεως ἀκόλαστα ποιούσας, luxu ac petulantia perditas Dexicreon quidam ἀγύρτης, id eſt, circulator & mendicus, ſacris piacularibus quibuſdam expiarit: vel quia nauclerus, cùm eſſet Dexicreon, negotiandi cauſa enavigarat in Cyprum: ei verò jamjam onus in naves impoſituro Venerem juſſiſſe ferunt, aquam tantùm in navem imponeret, ſtatimque ſolveret. Illum verò dicto audientem fuiſſe, & comportata in navim aqua, profectum, ſumma tranquillitate & malicia deprehenſum, ſitientibus reliquis & mercatoribus, & nautis, aqua ſingulis venundata, multum inde argenti collegiſſe: exque eo ſtatuam deæ poſitam, illam à ſuo nomine appellaſſe. Quod ſi verum eſt, non unum ditaſſe, ſed per unum multos ſervaſſe Venus exiſtimanda eſt. *Cæl.l.29.c.*18. *A.L.*

Ligna. H

Protagoras Abderites, βαστάζων fuit, id eſt, bajulus. Qui cùm de proximo jure caudices lignorum in oppidum Abderam brevi funiculo comprehenſos portaret, in Democritum incidit. Is compoſitionis elegantiam, & facilitatem in geſtando admiratus, ſolvere faſcem juſſit, & denuò componere. Quod cùm Protagoras feciſſet, admiratus ingenium illius Democritus, ſe ſequi juſſit, & philoſophicis ſtudiis initiavit. *Gellius l.5.c.3.*

Ælius Succeſſus mercator, cùm lignariæ negotiationi pertinaciter inhæreret, Pertinax dictus eſt: ejuſque F.P. Ælius pertinax poſteà Imp. extincto Commodo, creatus fuit. *Capit.*

Metalla.

Mentes Taphiorum rex, mercaturam exercens introducitur ab *Homero in 1. Odyſſeæ*, ferrum ære in Temeſa commutaturus. Fuit autem hic Mentes reverà mercator, cujus ſubſidio Homerus peregrinationes ſuas abſolvere potuit. Hujus habitum Minerva aſſumit, ne à Telemacho poſſet agnoſci. Eum itaque gratitudinis ergò *Homerus in Odyſſea ſua* immortalitate nominis donare voluit.

Plum-

Plumbum ex inſulis contra Celtiberiam ſitis, (quas A *Strabo lib.2.* Craſſiterides appellat) Midacritus primus aſportavit.

Bartholomæus Perdix Genuenſis negotiator Neapolim petens, cùm inſulam Ænariam prætervcheretur, animadvertit aluminoſos quoſdam ſparſos in ora maris ſcopulos. Annis enim circiter centum, ac ſexaginta tribus ante bellum Neapolitanum, quod Ferdinandus rex contra Andegavenſes geſſit, ruptis repentè terræ viſceribus, ex anhelato incendio, non modica ſui parte Ænaria conflagraverat, quæ eruptio & viculum igne abſumptum, pòſt voragine abſorpſit, & qua Cumanum ſpectat litus, provolutis ingentis magnitudinis in ſublime ſaxis, fumo, flammis, pulvereque immiſtis, poſtque per agros ſparſim impetu ſuo jactatis, maximè uberem, atque amœnam inſulæ regionem vaſtavit. Qua tempeſtate quædam etiam ſaxa ſcopulorum inſtar in ſitus provoluta cùm eſſent, ea Bartholomæus pòſt excocta in alumen diſſolvit, fuditque, revocata arte ea è Rocho Syriæ ab ſe allata, ubi ipſe plures annos negotiatus eſſet, quæ multis anteà ſeculis in Italia jacuerat. *Jou. Pont. l.6. belli Neap.*

Sal.

B Negotiator quidam navem onuſtam ſale vehebat, Nautis dormitantibus, influxu aquæ marinæ ſentina vehementer adaucta, & ſalem univerſum ſoluit, ac corrupit, & navem ipſam demerſit. Itaque quod ex aqua marina natum fuerat (nam hinc concreſcit ſal) in eandem denuò liquefactum eſt. Unde proverbium: ἁλῶν δὲ φόρτος ἔνθεν ἦλθεν ἐνθ᾽ ἔβη. *Eraſm.*

Aromata.

Iſmaelitę quidam mercatores à Galaad in Ægyptum deſcendentes, aromata, reſinam, & ſtactem camelis vehenetes, à fratribus Joſeph emerunt. *Geneſ.*37.

Jambolus à pueritia eruditus, poſt patris, qui mercator fuit, obitum, & ipſe mercaturæ operam dedit: per Arabiam tranſiens ad aromata emenda, cum ſociis itineris à latronibus captus, primò cum uno ex conſervis paſtor deputatus eſt: deinde unà cum eo à quibuſdam Æthiopibus comprehenſus, ultraque maritimam Æthiopiam ductus. Hi cùm eſſent externi, in expiationem ejus regionis capti ſunt. Mos erat his qui ea loca incolebant Æthiopibus, à priſcis tempo-C ribus ex deorum reſponſo traditus, perque ætates viginti, annos verò ſexcentos (ætas enim triginta perficitur annis) obſervatus, duobus hominibus expiationem facere. Habebant præparatum navigiolum ad ferendas maris tempeſtates aptum, & quod duo viri facilè poſſent regere. In id ſex menſium victu, quod ſatis eſſet ambobus, impoſito, viros inducentes mandabant, ut ſecundùm oraculi reſponſa naviculam verſus meridiem dirigerent: venturos eſſe eos ad inſulam felicem, & humanos homines, qui beatè viverent. Eodem modo & eorum patriam, ſi ipſi in inſulam ſalvi perveniſſent, ſexcentis in pace, felicitateque futuram. Sin verò longitudine maris territi curſum retro verterent tanquam impios, ac ſceleſtos, omni eorum genti magnarum calamitatum cauſam prębituros. Æthiopes verò ajunt dies egiſſe juxta mare feſtos, ſacraque feciſſe, optantes, quò ſolita fieret expiatio, proſperum navigantium curſum. Hi poſt quatuor menſium navigationem multis acti tempeſtatibus, ad inſulam deferuntur figura rotundam, ſtadiorum ambitu quinque millium. In ſulæ appropinquantibus accolæ quidam obvii ſcapham deducunt. Jambolus, & qui cum eo acceſſerant, cùm ſeptem annis in inſula manſiſſent, tandem ejectos fuiſſe ajunt invitos, tanquam malos, maliſque aſſuetos moribus. Igitur præpara-D ta ſcapha, cibiſque impoſitis, abſcedere coacti, menſibus quatuor ad regem Indiæ arenoſa, ac vadoſa loca maris appulere. Et alter quidem tempeſtate periit: Jambolus in vicum quendam appulſus, ab incolis ad regem in urbem Polibothra, plurimùm à mari diſtantem, deductus eſt. Cùm Græcos diligeret rex, plurimique eorum doctrina faceret, multis illum donavit. Deinde tutò in Perſidem primò, tum ſoſpitem in Græciam miſit. Hæc poſtmodum Jambolus literis mandavit: multaque de India conſcripſit, antea cæteris ignota. *Diod. l.2. c. ult.*

Ova.

Fame laborantibus Turcis, cùm ova gallinarum quotannis collecta venderentur, exiguo tempore tantum inde pecuniæ coactum eſt, ut imperatrici corona gemmis, & margaritis precioſiſſimis diſtincta pararetur: quam imperator Joannes Ducas ex eo Ovatam nominavit, quòd de venditis ovis confecta eſſet. *Gregoras l.2.*

Thomæ Satranenſis, qui poſteà pontificatum ſub Nicolai V. nomine geſſit, Mater ova, pulloſque vendebat. *Fulgoſus* E *lib.3. cap.4.*

Poma.

Quidam poma vendens M. Craſſo, ad bellum Parthicum profecturo, infelix omen Brunduſii fecit. ☞ *Vide Tit. Infelicis pugnæ omina.*

Antonius Siculus cognomento (ex ea enim inſula oriundus erat) Venetiis ortus, educatuſque, maritimis artibus à primis annis imbutus, cùm apud Chalcidem ageret, captus à Turcis: diù apud illos ſervitutem paſſus erat, omniaque eorum publica, privataque munia diligentiùs explorarat. Liberatùs autem à tam gravi jugo lætus Mocenicum tunc claſſis imperatorem adit, polliceturque illi, ſeſe paratum ad navalia incendenda, quæ Calipoli ampliſſima, inſtructiſſimaque erant. Verſatum ſeſe in iis locis ad aliquot annos ea mente & animo, ut Chriſtianæ pietati, & Veneto nomini imprimis prodeſſet: petere igitur ſe ab illo, ut paratis, quæ tantæ rei neceſſaria eſſent, ſeſe dimitteret. Qua re cognita imperator ſtructo ſtatim navigio, venalibuſque pomis referto (ſic enim illi placuerat) ſuperato facilè Helleſponto, Calipolim appulit: mercatoriſque perſonam ſimulans, qui ea poma venderet aliquot dies cuncta F perluſtrans, tandem noctu perfracta navalis ipſius porta ignem ſecum, & picem deferens, magnam partem armamentarii ejus incenderat: cùm vigiles Turcæ tectorum fragore, flammæque ſonitu exciti, eò convolant. Quod cùm ille cognoviſſet, ſtatim correpta fuga ad navigium rediit, in adverſam Helleſponti ripam navigaturus. Cæterùm imprudens correpto navigio picis incendio, enatando evaſit, proximaque ſylva ſe abſcondit. Interim cùm Turcæ incendii auctorem perquirerent, facilè natantibus pomis navigiique reliquiis coniiciunt hunc unum fuiſſe, qui tantùm facinus patraſſet. Quem ſtatim ſecuti per proximam ſylvam veſtigiis extantibus, captum ad Subbaſſam adducunt Calipolim, quem ille ad Othomannum principem deducendum curavit. *Egnat. l.3. c.4.*

Olera.

Euripidis tragicorum principi, Mater olera vendidit, pater incertus eſt. *Val. Max. l.3. c.4.* Proinde Scandicem Ariſtophanes Euripidi poetæ obiicit jlocaliter, matrem ejus ne olus quidem legitimum venditaſſe, ſed ſcandicem. *Plin. lib.22. c.22. & Suid.* G

Petronilla Maurella Pariſienſis olerum venditrix. ☞ *Vide Tit. Inimicitiæ cauſa, avaritia.*

Frumenta.

Mentes, Leucadius mercator, cùm Smyrnam frumenti coemendi gratia veniſſet, & illic Homerum, qui ludimagiſtrum agebat, inveniſſet, Sirene illius ductu perſuaſit illi, ut ſecum peregrinaretur ſuis ſumptibus. Homerus cùm jam in animo poeſeos argumentum præconcepiſſet, occaſionem hanc non neglexit, quòd mores gentium, ſitus regionum, & urbium oculata fide tantùm percipi poſſe exiſtimaret. Cùm Mente igitur & Hiſpaniam, & Italiam, totum denique mare Mediterraneum percurrit. In reditu Ithacæ oculis captus, & curatus, Colophone denuò viſum amiſit, neque unquam poſteà recepit. *Herodotus in Homeri vita.*

Dardanarii dicuntur, qui annonam, merceſve coemptas tantiſper ſupprimunt, dum carius eas vendendi occaſio ſe offerat; à Dardano, nobili mago nominati. *Vide Ulp. lib.6. D. de extraord. crimin. & l.37. de pœnis, Julius Pollux* ἀναπιπράσκοντας, & ἀνατοπώλας, hoc genus hominum appellari ſcribit, nam Propolas eos nominat, quos Juriſconſulti Proxenetas. H

Conon & Beſſa duces Græci ſub Beliſario, obſeſſa Roma à Gothis frumento omni in ſuam redacto poteſtatem, famem accenderunt: *Procop.*

Nicephorus Phocas Imper. in magna fame ex calamitate ſuorum lucrum fecit maximum, neque id clam habuit. *Ced.*

Oleum.

Plato in Ægyptum properans, ut ſacerdotes audiret, oleum ſecum mercaturæ gratia vexit, ut pro viatico ſuppeditaret. *Plut. in ejus vita.*

Lucanicas.

Charinus vel Lyſanias, Æſchinis philoſophi pater, lucanicas vendebat. *Laert. l.2.*

Purpuram.

Lydia purpuræ venditrix, civitatis Thyatyrarum, Philippis à Paulo Apoſtolo converſa. *Actorum* 16.

Zeno Cittiæus negotiator purpuram vehens, naufragium A fecit juxta Piræcum, atque hac occaſione ſeſe contulit ad philoſophiam. Itaque ſolitus eſt dicere: Tum bene navigavi, cùm naufragium feci. Alii narrant, eum, cùm Athenis eſſet, audiſſetque merces periſſe naufragio, dixiſſe: Bene facis, fortuna, quæ me ad philoſophiam (alii ad pallium) appellis. *Laertius lib. 7. c. 1.*

Corobius purpurarius Cretenſis, qui Theræi iter oſtendit navigandi in Africam. *Herod. l. 4.*

Veſtium, Pannorum.

☞ *Huc Sutores, & Sartores referri poſſunt, & quivis alii Veſtiarii opifices, quatenus αὐτοπῶλαι ſunt, hoc eſt, merces ſuas aliis vendunt.*

Vergiliarum occaſu Romæ inſtitores olim de hyeme augurabantur. Nubilo occaſu, quia pluvioſa denunciaretur hyems, augebant lacernarum precia; hec non reliquarum veſtium precia accendebant, quoniam aſpera eſſet hyems futura. *Plin. l. 18. c. 25.*

B Crassus mercator pannorum à Rotomagenſibus in regem creatur. ☞ *Vide Tit. Seditionum.*

Libros. Bibliopolæ.

Hemodorus quidam Platonis auditor commentarios ab illo conſcriptos in Siciliam deportare conſuevit, atque inibi venditare. Unde Siculi, ut ſunt dicaces, rem in proverbium verterunt dicentes: Hemodorum pro mercibus importare verba. Cæterùm ſophiſtæ, & Philoſophi lucubrationes ſuas λόγυς appellant. Alluſit haud dubiè huc, *M. Tull. Cicero l. Epiſt. ad Atticum* 13. Dic mihi, placet ne ibi primum edere injuſſu meo? Hoc ne Hermodorus quidem faciebat is, qui Platonis libros ſolitus eſt divulgare, ex quo λόγοισιν Ερμόδωρος ἐμπορένεται. Hinc & λογέμπορος dictus, qui præter verba nihil adfert. *Eraſmus.*

Tryphon librarius, & bibliopola apud *Martial. in Epigrammatis.*

Non habeo, ſed habet Bibliopola Trypho.

Narses Eunuchus [qui poſtea à Juſtiniano Imperatore in Italiam miſſus fuit contra Græcos, & Totilam primò, mox Thejam eorum reges devicit, & occidit] bibliopola fuit. Mox ab Imperatore in cubiculum ſuum adſcitus, & ordine C patricio cohoneſtatus, occaſionem virtutes ſuas declarandi habuit. *Platina in vita Pelagii I.*

Chartas.

Chartopratæ, qui chartis, quæ in urbem ex provinciis comportabantur, vendendis præerant.

Coronas.

Glycera Sicyonia à Pauſia pictore adamata, coronas venditando ſuam ſuſtentavit paupertatem, ϛεφανοπωλὶς dicta. Cùm ea certavit Pauſias, ut quantum illa floribus, tantùm ipſe coloribus variaret. *Plin. l. 35. c. 11.*

Unguenta. Myrrha, oleo.

Scribit *Heraclides Ponticus in l. de Voluptate*, Diniam unguentorum venditorem in amorem ob delicias incidiſſe, multoſque nummos abſumpſiſſe. Qui voluptatibus fuit abſolutus, ſibi pudenda perturbatus amputavit: quarum rerum omnium cauſa extiterunt immoderatæ deliciæ. *Athenæus l. 21. cap. 29.*

Pecuniam. Trapezitæ.

☞ *De his ſuprà inter Materiales Operas, circa Pecuniam* D *verſantes, Negotiando.*

Animalia bruta quævis.

Βοώνης κ̀ βώνης ille dicitur, qui boves ad publica ſacrificia coemeret, cujus illuſtre munus Athenis fuit. Nam ex iis, & magiſtratus ſummi creabantur, & imperatores ferè diligebantur. *Suid.*

Lysicles ovium mercator, obſcuro genere natus, principem inter Athenienſes locum conſecutus eſt, quia cùm Aſpaſia poſt mortem Periclis rem habuerat. *Plut. in Pericle.*

Mancipia. Venalitii, qui ſervos venales habent.

☞ *Mangones propriè dicuntur, qui in forma humana polienda verſantur. At quia id quæſtus cauſa faciunt, ut mancipia carius vendant, hujus erunt loci.*

Panionius Chius mango. ☞ *Vide Tit. Eunuchorum.*

Turonius Flaccus mango, cujus pueris ſymphoniacis delectatur Auguſtus. ☞ *Vide Tit. Avaritiæ reprehenſores.* De eo Macrobius: Delectatus erat Auguſtus inter cœnam ſymphoniacis Thoranii mangonis, atque eos frumento donāverat.

E Carpophorus mango temporibus Domitiani.

Turci Mercatores in oppidis habent, qui privilegiis à rege muniti, captivos quoſcunque emunt, vendunt, impignorant, redimunt, juxta regalia ipſorum decreta, ſine cujuſcunque obſtaculo. Bellum quoque ex cauſa adeunt, ut homines mercentur, ac publicè in foro vendant ut pecora, ingenioſiſſimi ad noſcendum, qui viribus valeant, cui labori adaptandi. Tum palàm ſine pudore homines nudi utriuſque ſexus proſtituuntur, currunt, ambulant, ſaltant, ut hinc ætas, virtus, robur diſcernatur. Si qui inobedientes, aut verecundi pudenda tractari recuſarint, colaphizantur & flagellis cæduntur. Hic filius venditur matre vidente, hìc mater abducitur in confuſionem filii, hìc marito erubeſcente uxor, ut ſcortum eluditur, aliique viro traditur. Hìc uxor maritum videt aratro alligari. Hìc parvuli è ſinu matris rapiuntur (abducuntur enim non provectæ modò ætatis homines, ſed parvulos & lactentes infantulos.) Denique nec dignitatis, nec ſexus, nec ætatis, vel minima habetur ratio. Miles paganus, ſacerdos, plebejus, nobilis, ignobilis pari libra æſtimantur. Servi empti mancipantur teterrimæ ſervituti, tanquam perpetuis carceribus: ubi F nulla ſpes ampliùs libertatis, ſed labores intolerabiles cum maximis opprobriis. Avidiſſimè enim omnes ſervos, & ancillas poſſident, quia credunt egeſtatem ſe nullam viſuros, ſi ſervos habeant. Cùm ſervi multiplicantur, eos cum ancillis jungunt connubio. Villas totas exædificant, & agros iis colunt, ac inde ditantur. *Cuſpin.*

Meretricis.

☞ *Huc Lenones & Lenæ, quæſtus cauſa turpiſſimam mercaturam exercentes.*

Mercenarii quivis.

☞ *Latiſſimè patet hic titulus. Opera præſtari poteſt Theorica Mechanica, Practica: Animi, Corporis, Fortunarum, ut famulitii, dignitatis. Et quidem hoc loco ſolam commutationem Operæ ſpectamus.*

ΘΗΤΕΣ dicuntur Græcis, potiſſimùm Athenienſibus, qui mercede alteri inſerviunt, inferioris conditionis quàm βαναυσοι, ut pote qui ſervilia obeunt munia, inquit *Ammonius.*

EFFICIENTIS RESPETU. G

Qui, Quales.

Mercatores dicebantur, qui cùm Romæ domicilium haberent, interdum tamen exportandarum, vel importandarum mercium cauſa in provincias ad aliquod tempus excurrebant. Sabinus *autem* in lib. 4. D. de penu leg. *tempus ut longiſſimum definit eſſe non plus annuum. Negotiatores verò cives quidem erant Romani, ſed provinciis ſedem fortunarum ſuarum conſtituerant, ſic, ut raro in urbem, nec ferè niſi cenſendi cauſa redirent, quales erant aratores, pecuarii, argentarii*, &c. Hotoman. de Verbis juris. Conſule Tit. Nautarum. *quatenus nautarum commoditas in mercatura facienda eximia eſt, adeò ut Heſiodus ναυτιλίω vocet ipſam Mercaturam.*

Populi.

Inſtitores primi Lydi fuere, qui à mercatoribus emebant merces, quas deinde minutatim venderent. *Herod. l. 1.*

Arabiæ populorum innumerorum pars æqua in commerciis, aut latrociniis degit. *Plin. l. 6. c. 28.*

Apud Ægyptios mulieres cauponantur, & inſtitoria obeunt H munia: viri verò domi lanam tractant. *Herod. l. 2.*

Tarteſſus, ultra Herculeas columnas, emporium, ex quo revertentes Samii mercatores, quæſtum maximum fecerunt, omnes quos novimus Græcos poſt Soſtratem Laodamantis, cum quo nemo poteſt contendere. Ex eo quæſtu Samii decimam ſex talentorum fecerunt ahenum inſtar crateris Argolici, grypinis capitibus in circuitu altrinſecus obverſis: & in templo Junonis collocarunt, ſuſtinentibus illud tribus coloſſis, id eſt, humanis ſimulacris, ſeptenum cubitorum, genu nixis. *Herod. l. 4.*

Venetiis patrii moris eſt, ut pars multò maximam civiū, tertia ferè diei hora unum in locum coeat, velut ad emporium negotiorum cauſa. Rivo alto eſt nomen loco: ubi ſine fremitu, ſine altercatione ulla (tanquam nutu, non verbo inter ſe paciſcantur) cuncta orbis veriùs, quàm urbis negotia incredibili ſilentio tranſiguntur. Tanta eſt & uni civitati in rebus agendis gravitas, & modeſtia: umbras dicas & ſtatuas eſſe, non homines, frequentem illum hominum conventum: tametſi proximus ſpectes: ut verè, ſcitèque ſit illud in ore multorum, A Negotiationem nulla re minus egere quàm verbis. *Sab. l. 6. c. 1.*

Nullum eſt emporium interni maris, quòd à Gaditano freto inter Africam, & Europam in Syriam, & Ægyptum ad ortum excurrit, ad ſeptentrionem verò & Boream ad Boſphorum, & Mæotidem paludem nullus tam ignoti litoris receſſus, quem Venetæ triremes ex antiquo civitatis inſtituto non negotiorum cauſa frequentet. Supra fidem eſſet enarrare, quæ vis navium, non Italiæ ſolùm, ſed Liburniæ quoque, Dalmatiæ, Macedoniæ, ac totius Græcię litore velut ſuburbana quædam loca aſſiduè ſcrutentur. Sunt quæ ſtatis anni temporibus ad merces ex remotiſſimis locis petendas publicè inſtruuntur. Ex his quatuor longæ naves, ex Syria, atque ex Ægypto totidem, aromata, ſericum, gemmas, uniones in Italiam deferunt. Ex Libya tres, aurum, gemmas & mancipia. Dux ex interna Gallici maris ora precioſiſſimum vellus, & Hiſpanum Sericum, omnium longè nobiliſſimum. Quatuor à Tanai & Męotide palude, ſalſamenta, tapetas, & ſmaragdos: ac præter eum numerum, quatuor ex Gallici Oceani, emporiis, lanas, aurum, aulæa, & Flandrenſis panni vim omnino ingentem. *Sab. l. 3. Dec. 4.*

B Anno 1258. cùm in Anglia frumentum propter ſiccitatem anguſtiùs proveniſſet, ita fame laboratum eſt, ut homines carne, & lacte ut plurimùm victitantes, etiam ederint varia herbarum, radicumque genera, quæ in uſum neceſſitas verterat, donec mercatores viciniores, pręſertim Germani, populum Anglicum in tanta caritate annonę magno frumenti numero ſuppeditato levaverint. Hi enim ſeptentrionalis Germanię populi, & Oceani accolę, cùm omni tempore parati eſſent ad juvandum ſuis opibus regnum Anglię, rogarunt Henricum III. regem, ut ſibi privilegia à ſuperioribus regibus olim conceſſa confirmaret, ac eadem deintegro irrogaret, quò poſſent tutiùs, commodiuſque apud ſuos Anglos mercaturam facere. Rex recenti eorum beneficio affectus, & memor patrem Joannem regem uſum eſſe opera, & auxilio eorum etiam in bello, quod ſuis ducibus pro Ferdinando Flandrię comite cum Philippo rege Francorum proſperè geſſiſſet, illos immunitatibus, atque privilegiis liberaliter donavit, qui remiſit non utique parum de vectigalibus, ac portoriis impoſitis rebus, quę per ipſos venirent in Angliam, ut ſcilicet minus quam cęteri mercatorres ſolverent, quo principis beneficio etiam nunc C memoria noſtra utuntur fruuntur. Sed ſcire licet, iſtos induſtrios negotiatores ultrò, citròque commeantes, & varias merces undique importantes, reportanteſque à principio ſocietatem fœderatam inter ſe coiſſe, quę quidem ſocietas Anze Teutonica eorum lingua nuncupatur: namque Anze vox ſignificat Juxta & non procul à mari, quę idcirco valde apta, & appoſita eſt gentibus maritimis. Ii deinde emporia aliquot, in quibus ſuos mercatus haberent, ſibi conſtituere, & cumprimis quatuor, unum Brugis, quę civitas eſt Flandrię, alterum Londini, ad Thameſis fluminis ripam ſeptentrionalem, quod vulgò Stiliard vocitatur, tertium Novogardię in Sarmatia, ac quartum in Norvegia. *Polyd. l. 16.*

* Habet & Antuerpia forum, ſive Peryſtilium Mercatorum, gemina turri, & Horologiis inſigne, celebrandis negotiationum commerciis, & conventibus adeò opportunum, ut alibi par non invenias. Siquidem porticibus circumquaque clauſum, quatuor ſpatioſos introitus habet, quo fit, ut breviſſimo tempore innumerabiles mercatores eò confluant, & inde diffluant. Habet & tabernas ſuprà ipſas porticus, olim dum D res Belgicæ florerent, omnis generis mercibus refertas. Vocant hunc locum incolæ Burſam, ejuſque fundamenta jacta fuerunt anno Domini M. D. XXXI. Nominis hujus ratio deſumpta eſt à Brugenſibus, apud quos olim platea, ſive forum fuiſſe traditur, quod commerciis ſerviebat, in cujus angulo domus erat antiqua, præferens inſignia trium burſarum, ſive marſupiorum, à qua locus ipſe poſteà nomen accepit. Et quia mercatores Brugenſes illum delegerant ad ſuos contractus peragendos, factum eſt, ut Antuerpienſes etiam illud nomen ſuo periſtylio indiderint, eoſque ſecuti Toloſates. Quin & Angli nuper ad exemplar Antuerpienſis burſam Londini ædificarunt, quomodo & Hollandi, Amſterodami. Luſit in Burſam Antuerpienſem quidam:

Mundi anima ut verum moderatur Nummus habenas,
Terraſque, & tractus conciliat marium.
Diſce hoſpes, toto quamvis diviſus ab orbe,
Hic tibi ſi nummus, non peregrinus eris.

Anza Teutonica, ſocietas urbium Germanici Oceani. De qua ſic *Gaſparus Vopellius in Rhenana Tabula*: Anze ultra omnem hominum memoriam nihil aliud fuit, quàm honeſta ſocietas plurium civitatum, quinetiam pagorum, olim E cùm propter multifaria, accepta, relataque beneficia, tum ut mutuus, ac ſecurus terra marique conſtaret mercaturæ intercurſus, non ſolùm à multis Angliæ regibus, ſed & Galliæ, Daniæ, Svetiæ, Poloniæ, ac magnæ Moſcoviæ, necnon & Flandriæ, & Brabantiæ ducibus, multis privilegiis dotata, quæ communio à Germanis Anze vocatur. Habet autem quatuor emporia. Unum Brugis, Flandriæ, alterum Londini in Anglia ad Thameſis fluminis ripam ſiniſtram, quòd vulgò Stiliard vocitatur, habens domum Gildehallam Teutonicorum nuncupatam. Tertium in Novogardia Ruſſiæ urbe potentiſſima. Quartum Bergæ in Norvegia. Anno verò 1560. magnificam domum negotiationi deſtinarunt in Civitate Antuerpienſi, ut neſcias an alibi terrarum ſimili ſplendore aliam videas. Quidam emendicato à Latinis vocabulo Anzas quaſi Anſas dici volunt, quod his ceu anſis, & annulis quibuſdam concatenata ſit mercatorum ſocietas. Sed ineptiunt homines præ nimio eruditionis ſtudio mirificè, qui Germanorum linguam tam inopem eſſe credunt, ut ſocietati huic nomen imponere non potuerit, niſi à Latinis precaria ſumpſiſſet. *Um See*, ad mare, ſonat, quaſi fœdus maritimarum urbium.

Principes, Reges. F

Pertinax Auguſtus, non aliter quàm privatus, ac ſordidus civis, mercaturas exercuit. *Spartian. & Herod.*

Theophili Imp. Conſtantinopolitani uxor mercaturæ dedita. ☞ *Vide Titulum, Mercimoniis comparandæ pecuniæ rationem fugere.*

Redolphus Boemiæ rex Alberti Cæſaris F. negotiationem in argentifodinis Cuthnenſibus exercebat, vinum, ſal, hordeum, triticum, ad panes & cereviſiam coquendam ex Auſtria de horreis ſuis convehendo, preciaque rebus promercalibus ex arbitrio ſuo conſtituendo, atque in eo genere mercaturæ monopolium ſibi vindicando. Is ſe neceſſitate compulſum, huc deſcendiſſe dicebat, ut hoc modo ſummam ærarii inopiam ſublevaret, & debita per utrunque Venceslaum reges contracta diſſolueret. Adeòque duo millia aureorum in illis ipſis montibus hebdomatim æri alieno diſſolvendo tribuebat. *Dubravius lib. 19.*

Laurentius Medices Petri F. Reſp. Florentinæ princeps, mercaturam, quamdiu per publica negotia licuit (quòd ex eo G tanquam capite & robur, & nervi omnes in Remp. diducerentur, & magno prætereà præſidio eſſet ad domeſticam potentiam tuendam) neceſſariò exercuit. At ſupremo vitæ tempore eandem improbare viſus eſt: magno ære alieno diſſoluto, quod ipſe culpa ſuorum contractum, illi effuſis ejus largitionibus cauſabantur, quas domeſticæ opes minimè animo pares non ferrent. Ad agros colendos ita animum convertit, ut ſuperius inſtitutum planè tamen negligi à privatis noluerit. Præter cæteras artes, lanæ & ſerici textrinas auxit, & provexit. *Brutus l. 8. hiſt. Flor.*

Neapolitanorum reges quidam, erepta ſuis mercaturę facultate provinciales ad inopiam redegerunt. *Pont. cap. 46. de Liberalitate.*

Quibus Alii.

Negotiator Deliacus Archelaus colloquii conciliator fuit inter Syllam, & Archelaum Mithridatis ducem, atque adeò pacis. *Plut. in Sylla.* H

Halyattes mercator Lydus. ☞ *Vide Tit. Avari ſubditi.*

Heroſtratus Naucratites, qui mercaturam exercebat, regioneſque multas navigando viderat, aliquando in Paphum etiam applicuit Cypri, & Veneris ſimulacrum palmi magnitudine coemit arte antiquiſſima factum, quòd ferens Naucratem contendebat. Illi poſteà juxta Ægyptum naviganti, cùm hyems repente incidiſſet, neque ubi locorum eſſent, poſſet cognoſcere, omnes ad Veneris ipſius ſimulacrum confugerunt, atque orarunt, ut eos ſervaret. Tum verò dea omnia, quæ illi erant appoſita, myrtos virides fecit; atque navem totam ſuaviſſimo odore replevit, cùm jam ob nauſeam navigantes de eorum ſalute prorſus deſperarent. Cùm permultum vomuiſſent, ſolque enituiſſet, montibus conſpectis Naucratem pervenerunt. Tum Heroſtratus exiens è navi cum ſimulacro, ſimulque virides myrtos habens, qui ſibi repentè apparuerant, depoſuit in Veneris templo, ſacrificiaque inſtituit, eaque Veneri dicavit: ac ſingulis coronam ex myrto donavit, quam eo tempore vocavit Naucratitem. *Athen. l. 15. c. 6.*